



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

Quæstio LXI. De necessitate sacramentorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

dire, quin ex materia & forma essentiali fiat sacramentum à debito ministro: ergo non potest Ecclesia efficere, vt materia, & forma, quæ in vna Ecclesia sufficit, non sufficiat in vniuersa Ecclesia, saltem vt sacramentum factum teneat: patet vltima hæc consequentia, quæ si illa forma & materia in vno loco sufficit, illa sola est essentialis ex Christi institutione: ergo eadem sufficit in quolibet loco, si ibi applicetur. Confirmatur, nam licet Ecclesia prohibeat alicui ministro, ne conficiat sacramentum, si non prius illum aliqua re substantiali, ac necessaria ad sacramentum, sola prohibitio non satis est ad irritandum sacramentum ab huiusmodi ministro factum, etiam si ipse peccet sacramentum conferendo contra Ecclesiæ prohibitionem: ergo similiter, licet Ecclesia prohibeat, sacramentum fieri ex tali materia, nisi adhibita tali circumstantia accidentali, aut ex tali forma, nisi tali modo prolata: hæc prohibitio non erit sufficiens ad irritandum sacramentum, si substantialis materia & forma in eo seruetur, licet peccet sacerdos accidentalem illam solemnitatem omitendo, ergo quamuis in diuersis regionibus & locis Ecclesiæ diuersi ritus accidentales præcepti sint, id obitare non potest, quominus ad veritatem sacramenti sufficiat materia & forma essentialis, quocumq; modo vel ritu adhibeantur.

Non sufficit
vnum quod
vtrumque er
vtriusque.

Ad fundamentum ergo prioris sententiæ respondeatur, eos auctores errasse, non satis distinguendo necessitatem sacramenti à necessitate præcepti: vnde illa duo exempla, quæ afferunt, potius contra illos demonstrant, vt diximus: nam in eis casibus peccare posset sacerdos ita cõficiendo sacramentum, ipsum autem validum esset. Ad tertium exemplum de Matrimonio respondetur, idem argumentum fieri posse de temporibus diuersis, nam eadem signa muti consensibus, quæ antea sufficerent ad sacramentum Matrimonij, nunc non sufficiunt, si absque parochi, & testibus exhibeantur: & tamen non propterea dicendum est, materiam & formam essentialis, quæ antea sufficiebant ad Matrimonium, nunc non sufficere, non enim potuisset Ecclesia illas mutare. Sed dicendum potius est, materiam & formam huius sacramenti esse mutam consensum expressum, & ad contractum Matrimonij perficiendum inter baptizatos sufficentem: quam materiam, & formam Ecclesia mutare non potest, neq; impedire, quominus illis adhibitis fiat sacramentum: at vero, quia hoc sacramentum supponit contractum, in quo fundatur: & valor, seu efficacia contractus pendere potest ex modo contrahendi, qui modus potest ab Ecclesia præscribi, ideo fieri potest, vt expressio consensus, quæ aliquando sufficit ad valorẽ contractus sine aliqua solemnitate, alio tempore sine illa non sit sufficiens: & ita non variatur formaliter, ac proprie materia, & forma sacramenti, sed id quod erat materia, & forma, amittit illud esse, ratione cuius poterat esse materia, & forma sacramenti: sicut si Ecclesia posset efficere, vt id quod erat panis, iam non sit panis, vel, vt hæc vox Corpus, non significaret, quod nunc significat, sed rē aliam, tunc cõsequenter faceret, vt ex illa re, vel ex illo verbo non fieret sacramentum: non quidem mutando formam, vel materiam sacramenti proprie, ac formaliter, sed remote, quasi destruedo rem ipsam, quæ poterat esse forma vel materia sacramenti.

Ecclesia in
matrimonio
nō mutauit
materiam,
& formam.

QVÆSTIO LXI.

De necessitate Sacramentorum, in quatuor articulos diuisa.



Inde considerandum est de necessitate sacramentorum.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo, vtum sacramenta sint necessaria ad salutem humanam.

Secundo, vtum fuerint necessaria in statu ante peccatum.

Tertio, vtum fuerint necessaria in statu post peccatum ante Christum.

Quarto, vtum fuerint necessaria post Christi aduentum.

ARTICVLVS I.

Verum sacramenta sint necessaria ad humanam salutem.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod sacramenta non sint necessaria ad humanam salutem. Dicit enim apostolus 1. ad Timot. 4. Corporalis exercitatio ad modicum utilis est. Sed vsus sacramentorum pertinet ad corporalem exercitationem, eo quod sacramenta perficiuntur in significatione sensibilibus rebus & verborum, vt dictum est. Ergo sacramenta non sint necessaria ad humanam salutem.

2. Præterea 2. ad Corinth. 12. Apostolo dicitur, Sufficit tibi gratia mea. Non autem sufficeret, si sacramenta essent necessaria ad salutem. Non sunt ergo sacramenta salutis humanae necessaria.

3. Præterea, Posita causa sufficienti, nihil aliud videtur esse necessarium ad effectum. Sed passio Christi est sufficiens causa nostræ salutis. Dicit enim post ad Rom. 5. Si cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati saluerimus in vita ipsius. Non ergo requiruntur sacramenta ad salutem humanam.

Sed contra est, quod August. dicit 19. contra Faust. Lib. 19. c. 11. In nullum nomen religionis seu verum, seu falsum, coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum seu sacramentorum visibilibus consortio colligantur. Sed necessarium est ad humanam salutem homines adunari in vno vere religionis nomen. Ergo sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem.

Respondeo dicendum, quod sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem tripliciter. Quarum prima sumenda est ex conditione humanæ naturæ: cuius proprium est, vt per corporalia & sensibilia, in spiritualia & intelligibilia deducatur. Pertinet autem ad diuinam providentiam, vt vnicuique rei provideat secundum modum sue conditionis. Et ideo conuenienter diuina sapientia homini auxilia salutis conserit sub quibusdam corporalibus, & sensibilibus signis, quæ sacramenta dicuntur. Secunda ratio sumenda est ex statu hominis, qui peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus. Ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi, vbi patitur morbum. Et ideo conueniens fuit, vt Deus per quedam corporalia signa, homini spirituales medicinas adhiberet: nã si spiritualia nuda ei proponerentur, eius animus applicari non posset, corporalibus deditis. Tertia autem ratio sumenda est ex studio actionis humane, quæ præcipue circa corporalia versatur. Ne ergo esset homini durum, si totaliter à corporalibus actibus abstraheretur, propofita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad euitanda superstitiosa exercitia, quæ consistunt in cultu demonum, vel qualitercung; noxia, quæ consistunt in actibus peccatorum. Sic igitur per sacramentorum institutionem, homo conuenienter sua natura eruditur per sensibilia: humiliatur, se corporalibus subiectum cognoscens, dum sibi per corporalia subuenitur: præseruatur etiam à noxiis actionibus per salubria exercitia sacramentorum.

Ad primum ergo dicendum, quod corporalis exercitatio, in quantum est corporalis, non multum utilis est. Sed exercitatio per vsus sacramentorum, non est pure corporalis, sed quodammodo est spiritualis, scilicet, per significationem & casualitatem.

Ad secundum dicendum, quod gratia Dei est sufficiens causa humane salutis, sed Deus dat hominibus gratiam secundum modum eius conuenientem: Et ideo necessaria sunt hominibus sacramenta ad gratiam consequendam.

Ad tertium dicendum, quod passio Christi est sufficiens causa humane salutis. Nec propter hoc sequitur quod sacramenta non sint necessaria ad humanam salutem: quia operantur in virtute passionis Christi, & passio Christi quodammodo

modo applicatur hominibus per sacramenta, secundum illud Rom. 6. Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.

COMMENTARIUS.

IN titulo tam huius articuli, quam omnium sequentium, observandum in primis est, non esse sermonem de necessitate sacramenti post factam institutionem: hæc enim non est generalis, neque eiusdem rationis in omnibus sacramentis: sed in vnoquoque talis erit, qualis fuerit eius institutio, ut inferius artingitur à D. Thom. in qu. 65. sed est sermo de necessitate ipsius institutionis. Unde fit (quod recte annotavit Caietan.) non posse esse sermonem de necessitate simpliciter, sed ad melius esse: absolute non potuisset Deus sine sensibilibus sacramentis salutem hominum operari. Quod ergo inquiritur, est, an hic modus fuerit convenientior, & homini magis accommodatus. Secundo est observandum, D. Thom. simpliciter mouere quaestionem hanc abstrahendo à determinato aliquo tempore: nam in tribus articulis sequentibus de singulis temporibus inquirunt, atque ita hic absolute etiam respondet, sacramenta esse ad salutem homini necessaria. Unde videtur colligi, definitionem hanc esse generalem, & applicari posse ad omnia tempora, & ad omnem statum humanæ naturæ: alioqui nec doctrinalis esset responsio, neque interrogationi adæquate satisfaciens. In contrarium vero est, quia D. Thom. artic. sequenti negat, fuisse necessaria homini sacramenta in aliquo statu, scilicet, ante peccatum: oportet ergo, ut & titulum huius articuli & responsionem eius de tempore post peccatum intelligamus. Dicendum tamen existimo, mentem D. Thomæ fuisse loqui de homine absolute considerata eius natura, non tantum ut lapsa, neque ut euecta ad perfectionem status innocentie, sed secundum se ex vi naturalis conditionis eius: & hoc modo respondet, indigere subsidio sacramentorum. An vero constitui possit in aliquo alio statu, in quo illis non indigeat, hoc inquirunt in articulo sequenti.

Sacramentorum non est necessitas simpliciter.

Conciliantur duo loca D. Thomæ.

Secunda ratio D. Thomæ fundatur in affectu, ut res corporales.

Et iuxta hunc sensum, tam responsio articuli, quam prima & tertia ratio eius claræ sunt. Secunda vero non nihil difficultatis habet: quia cum ex peccato sumatur, videtur procedere de homine lapsa, & non de homine secundum se. Respondetur tamen rationem illam non fundari in propria malitia culpa, sed in effectu relicto ex culpa, qui est affectus, & nimia propensio ad res corporales, qui quidem affectus idem est in homine in sua pura natura considerato, quamvis in illo non esset poena, nec affectus peccati, eo dem tamen modo esset sufficiens ratio efficiens sacramentorum necessitatem, seu indigentiam: quia hæc non oritur ex illo affectu propter habitudinem, quam habet ad culpam originalem, sed secundum se, & ita facile accommodatur hæc ratio sensui prædicto.

Alia vero difficultas oriri poterat ex rationibus D. Thomæ & solutionibus argumentorum: procedunt enim de sacramentis ad sanctificandos homines institutis: unde solum videntur probare de sacramentis nouæ legis. Respondetur in primis, eum dictum sit, hic non esse sermonem de necessitate simpliciter, sed ad melius esse, etiam si fateamur, sermonem D. Thomæ esse, de sacramentis nouæ legis, merito dici posse, illa esse necessaria homini secundum se ad salutem obtinendam, quamquam non semper illi data sint: quia non omni tempore abundantia gratiæ illi collata est. Deinde dicitur D. Thomam absolute loqui de sacramentis, siue sint signa, siue causæ gratiæ, ut aperte patet in solutione ad primū, & omnes utilitates sacramentorum, quæ in tribus rationibus proponuntur, non pendunt ex causalitate gratiæ, sed solum requirunt, quod sacramenta contineant

diuinum cultam, & spirituale significationem. Unde etiam fit, ut eorum usus possit conferre ad hominis sanctificationem, saltem ex opere operantis, quod si etiam habuerint virtutem ad sanctificandum ex opere operato, tanto erunt meliora & utiliora homini: & hoc modo loquitur D. Tho. in solutione ad 2. & 3. & ita est perspicua littera huius articuli.

ARTICVLVS II.

Vtrum etiam ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod etiam ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta. Quia sicut dictum est, sacramenta sunt necessaria homini ad gratiam consequendam. Sed etiam in statu innocentie homo indigebat gratia: sicut in prima parte habitum est. Ergo etiam in statu illo erant necessaria sacramenta.

4 dist. i. q. 21 art. 2 q. 3. Art. preced. ad 2.

1 p. q. 95. art. 4. ad 1.

2. Præterea, sacramenta sunt necessaria homini secundum conditionem humanæ naturæ: sicut dictum est. Eadem est natura hominis ante & post peccatum. Ergo videtur, quod etiam ante peccatum homo indigeret sacramentis.

Art. preced.

3. Præterea, Matrimonium est quoddam sacramentum, secundum illud 1 p. h. 5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia. Sed matrimonium fuit institutum ante peccatum, ut dicitur Genes. 1. Ergo sacramenta erant necessaria homini ad peccatum.

Sed contra est, quod medicina non est necessaria nisi egroti, secundum illud Mat. 9. Non est opus sanis medicis, sed sacramenta sunt quædam spirituales medicina, quæ adhibentur contra vulnera peccati. Ergo non fuerunt necessaria ante peccatum.

Respondendo dicendum, quod in statu innocentie ante peccatum sacramenta necessaria non fuerunt. Cuius ratio accipi potest ex rectitudine status illius, in quo superiora inferioribus dominabantur, & nullo modo dependebant ab eis. Sicut enim mens suberat Deo, ita menti suberant inferiora es animæ vires, & ipsi anima corpus. Contra hunc autem ordinem esset, si anima persiceretur, vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam, per aliquid corporale, quod sit in sacramentis. Et ideo in statu innocentie homo sacramentis non indigebat, non solum in quantum sacramenta ordinantur ad remedium peccati, sed etiam in quantum ipsa ordinantur ad animæ perfectionem.

Ad primum ergo dicendum, quod homo in statu innocentie gratia indigebat, non tamen, ut eam consequeretur per aliqua sensibilia signa, sed spiritualiter & inuisibiliter.

Ad secundum dicendum, quod eadem est natura hominis ante peccatum & post peccatum, non tamen est idem naturæ status. Nam post peccatum, anima etiam quantum ad superiorem partem, indiget accipere aliquid a corporalibus rebus ad sui perfectionem, quod in illo statu homini necesse non erat.

Ad tertium dicendum, quod matrimonium fuit institutum in statu innocentie, non secundum quod est sacramentum, sed secundum quod est in officium naturæ: Ex consequenti tamen aliquid significabat futurum circa Christum & Ecclesiam sicut & omnia alia, quæ in figura Christi præcesserunt.

COMMENTARIUS.

CIRCA intelligentiam tituli huius articuli discernunt inter se interpretes D. Th. Caiet. enim existimat D. Th. non habere quaestionem de statu innocentie absolute, prout futurus esset, si homo non peccaret, sed solum prout de facto fuit in primis hominibus ante peccatum: ita ut hic non tractetur quaestio quasi conditionalis, scilicet, an si status innocentie durasset, & in eo multiplicarentur homines, indigerent sacramentis, sed absoluta, vtrum Adam & Eva deberent aliqua sacramenta accipere antequam

Quid quaeratur, quæ ratio.

quam peccarent. Fundatur Caiet. Primo in verbis tituli, quia non queritur, verum in statu innocentiae, sed verum ante peccatum. Secundo in solutione ad secundum, in qua dicitur ante peccatum non indiguiffe hominem corporalibus rebus, vt ab eis aliquam perfectionem animae acciperet, quod est verum de Adam & Eva, non tamen esse verum de omnibus hominibus, si status innocentiae duraret: acciperent enim scientiam a corporalibus rebus. Tertio iunat hanc expositionem, quod iuxta illam resolutionem articuli est vera, & facilis: in alio vero sensu est valde difficilis, vt videbimus. At vero Soto & Ledesma intelligunt D. Thom. querere de statu innocentiae, tã qui tam fuit in primis hominibus, quam qui futurus esset in omnibus, si Adam non peccaret.

*Intelligenda
questio de
statu innocen-
tia qui fuit
& qui futura
fuit, nisi
Adam pec-
casset.*

Qui sensus & simplicior, & verior est hinc dubio. Primo, quia D. Tho. in discursu huius quaestionis tractare voluit de necessitate sacramentorum in omnibus temporibus & statibus hominum, quod non plene fecisset, nisi in hoc posteriori sensu quaestionem mouisset. Secundo, quia in discursu articuli non fundatur in peculiari perfectione, quam habuerunt Adam & Eva ante peccatum, sed in communi ratione, & rectitudine status innocentiae, quae futura erat in hominibus, si peccatum non intercessisset. Tertio, quia tam in corpore articuli, quam in solutione ad primum, pro eodem dicit D. Tho. agere de statu innocentiae, quam de primis hominibus, & ita ratio sumpta ex titulo articuli nullius momenti est: neque etiam ratio desumpta ex solutione ad secundum, quia D. Thom. non intendit excludere ab illo statu perfectionem homini connaturalem, qualis est: vt rebus corporalibus, vt obiectis ad scientiam acquirendam: quia hoc nihil pugnabat cum perfectione illius status. Vnde de ipso met. Christo, qui perfectionem statum habuit, quantum ad animam, docet alibi D. Tho. hoc modo accepisse naturalem scientiam a rebus: & de Adam & Eva negari non potest, quin aliquo modo proficere potuerint ante peccatum ex sensibilib. obiectis, saltem quantum ad experimentalem scientiam. Loquitur ergo D. Tho. de supernaturali perfectione scientiae, & gratiae, in quibus non expediebat hominem in statu innocentiae proficere per vsum rerum sensibilium, neque illis subici ad huiusmodi fructum capiendum propter rectitudinem ac perfectionem illius status, & ita est perspicua litera, & sensus D. Thom. de re autem ipsa commodius disputatione sequenti dicemus.

DISPUTATIO III.

De sacramentis quae futura essent in statu innocentiae.



IN praecedentibus disputationibus tractauimus, quid sit sacramentum, ante quaestionem, an sit, propter rationem ibi traditam: reliquum ergo est, vt quaestionem ibi ex accidenti omisiam dispuemus, antequam ad effectus, vel causas sacramentorum progrediamur. Quoniam vero sacramenta habent suum esse ex institutione, id est ex querere, an sacramenta sint, & an facta sit eorum institutio: & quoniam Deus, qui solus est sacramentorum institutor, vt postea dicemus, nihil nisi ex certa ratione, necessitate, vel vtilitate operatur, ideo, inuefigando sacramentorum institutionem, necessario inquirendum est, quae fuerit causa, vel necessitas illa instituenti, haec ergo tria simul tractanda sunt: vnde simul ex parte obiter explicabitur finalis causa sacramentorum, quae est eorum vtilitas vel necessitas, haec enim duo idem in hac materia significant, vt in Commentario articuli. i. notauimus, & latius tractant Scotus in quart. distinctio. pri. quaestione tertia, & Gabr. quaest. secunda, articuli. i. Quamuis autem D. Thomas prius generalem quaestionem de homine praemiserit, quam de singulis statibus hominis dis-

putauerit: tamen claritatis gratia, illa praetermissa, de singulis statibus sigillatim dicemus: quia cum non sit in omnibus a qualis congruentia, vel necessitas, neque eadem institutio, & ratio sacramentorum omnibus conueniat, non tam commode potest sacramentorum necessitas in communi explicari, quam in particulari: praeterim, quia de illa generali quaestione sufficiunt, quae Diuus Thomas tradit, & quae dicemus de homine in statu innocentiae, omnia applicari poterunt homini secundum se considerato, nam certum est, ex statu innocentiae non fuisse ortam specialem necessitatem sacramentorum, vnde, si quae in illo fuit necessitas, haec nata est ex natura hominis secundum se.

In hac ergo disputatione dicemus de statu innocentiae, in sequentibus vero de statu post peccatum iuxta diuersa tempora, aetates, & leges a Deo datas. Consideratio autem sacramentorum fieri potest, vel secundum propriam & specificam rationem sacramenti, vel secundum communioem rationem diuini cultus externi, quas duas rationes saepe confundunt auctores in praesenti materia, cum tamen valde diuersae sint, & ratio externi cultus latius patet, quam ratio sacramenti, quia ergo de statu innocentiae vtraque in dubium verum potest, vt a communioribus & clarioribus procedamus, dicemus prius de cultu in communi, deinde de sacrificio, postea de sacramento.

SECTIO I.

Verum in statu innocentiae colendus esset Deus ab hominibus cultu externo privato, & publico.

IN quaestione hac non inuenio inter Catholicos dissentientes sententias, neque etiam fuerunt aliqui haeretici qui de illo statu specialiter hoc negaret, praeter eos, qui in vniuersum huc externum cultum reiciunt, vt per se malum in hoc statu, contra quos non est hoc loco disputandum, tum, quia est absurdissima haereticis, & sine fundamento, tum quia est valde generalis ad materiam de religione pertinens.

Dicendum est ergo primo. Cultus Dei externus per actiones corporis valde consentaneus esse hominibus in statu innocentiae, vnde & probabile est de facto in eis fuisse, & longe probabilius futurum fuisse, si homo non peccasset. Hanc conclusionem existimo certam ex ipsa naturali ratione, quia hic cultus externus non est ex accidenti, seu per occasionem introductus ratione peccati, sed est per se debitus Deo, eo quod est author humanae naturae, quae animo & corpore constat, haec est enim fundamentalis ratio huius cultus, quae saepe Patres vtuntur, vt in superioribus visum est, & latius in materia de religione tractatur: sed haec ratio eodem modo obligaret in statu innocentiae, in quo etiam homo conlaret corpore & anima: ergo vtriusque actibus deberet colere Deum authorem suum. Secundo est alia ratio sumpta ex consortio & societate aliorum hominum: est enim naturalis homini vita politica & socialis: & ideo non satis est, vt interius credat & colat verum Deum, sed etiam oportet, vt ore & opere suam fidem & religionem ostendat: sed haec ratio tota habet locum in statu innocentiae, in quo & homines politice, & non solitarie viterent: neque enim alia viuendi ratio perfectioni illius status fuisse consentanea, & vnus non cognosceret interiores actus alterius, nisi quatenus per exteriores manifestarentur: ergo necessarium erat, vt in eo statu, non solum esset vera religio, sed etiam exterior eius professio, quae non fit nisi hoc exteriori cultu religionis. Tertio, Naturale est homini, vt corpore & animo in suis actionibus: ergo maxime in diuino cultu. Quis enim potest excogitari decentior vltus facultatum, & actionum corporis, quam diuinus cultus? si ergo non esset indecens

*Cultus Dei
externus valde
de consentaneus
esset in
statu innocen-
tia.*

indecens homini in statu innocentiae animo & corpore consistere: ita neque offerre cultum Deo suo modo spiritu & corpore compositum. Confirmatur quia actiones corporis iuuare solent ad actiones mentis & animi deuotionem excitare, hunc autem usum possent habere etiam in statu innocentiae.

Obiectio.

Respon.

Dices, His rationibus probaretur etiam in statu gloriae post resurrectionem corporum futurum esse diuinum cultum externum, ac sensibilem. Respondetur in primis non esse omnino eandem rationem, quia in gloria resurget corpus spirituale, & anima multo magis erit independens ab actionibus eius: erit enim intentissima Deo, absque consortio seu concursu corporis: in statu vero innocentiae quamuis corpus esset in perfectiori statu, quam nunc sit, tamen reuera esset corpus animale, & licet anima perfectius illi dominaretur, tamen etiam posset ab illo iuuari, ut perfectius interiores actus exerceret, & vehementius ad illos applicaretur: penderet enim intellectus in cognitione sua a phantasmatibus, & affectus omnino spirituales coniunctionem haberent cum affectibus corporis: & consequenter cum obiectis sensibilibus, a quibus hi excitantur. Deinde dicitur, verum esse, in beatitudine futurum esse externum Dei cultum, laudabunt enim sancti Deum, non tantum mente, sed etiam voce & actibus corporis: & praesertim indubitatum est adoraturos Christum Deum hominem, exteriorem reuerentiam illi exhibendo.

Homines beati, exteriori cultu Deum laudabunt.

Homines in statu innocentiae publico ritu Deum colerent.

In vobis praecipuum debet esse negotium religionis.

August.

Circa haec vero assertionem inquiri potest, vtrum hic cultus externus futurus esset in statu innocentiae priuatus tantum pro vniuerso, sive arbitrio, an vero etiam publicus nomine totius Ecclesiae, vel reipublice solemnique aliquo ritu exhibitus: nam rationes factae solum videntur procedere de priori modo cultus. Respondetur, licet conclusio certior sit de ritu priuato, veram tamen videri etiam de publico, propter illam praecipuam rationem, quia homo natura sua est politicum animal, & ideo naturale est hominibus in vnum populum vel rem publicam congregari, esset ergo hic priuatus societas in statu innocentiae, nam per se bonus est, & humanae naturae conueniens, & non tantum occasione peccati: ergo homines sic congregati in vnum corpus politicum, deberent etiam in vnum religionis nomen congregari. Nam in omni reipublica bene instituta primum, ac praecipuum esse debet religionis negotium, ad cuius debitam institutionem, ordinem, conseruationem, & augmentum reliqua omnia, si necesse fuerit, referri debent, non enim posset honestas morum recte in humana reipublica institui, & conseruari, nisi ratio diuini cultus principem locum haberet: non possunt autem homines congregari in vnum nomen religionis, nisi medio aliquo cultu Dei externo, & sensibili, ac toti reipublicae communi, ut constat ex D. Aug. 19. contra Faust. c. 11. & ex ratione facta, quia homines non vident actiones animi, sed corporis. Secundo est etiam optima ratio, quia sicut recta ratio dicitur, ut vnusquisque priuatus homo suo proprio corpore, & animo, & priuatis actionibus colat Deum: ita etiam dicitur, ut tota reipublica, prout est vnum corpus politicum, vnum etiam cultum quasi communi consensu Deo offerat: sed hoc est colere Deum publico, & solemnique cultu: ergo. Tandem, nam in statu innocentiae futura esset vna humana congregatio, seu reipublica, siue omnino vna, siue in varios populos, vel regna, esset diuidenda: hoc enim nihil ad presentem disputationem refert: ergo eadem vel maiori ratione futura esset vna Ecclesia, magis enim ad spirituales finem quam ad temporale commodum, in vnum corpus congregarentur homines, quorum vnus esset interior fides, & intentio eiusdem beatitudinis acquirenda: esset igitur illa Ecclesia visibilis, quia hoc est de ratione Ecclesiae militantis, & ex visibilibus hominibus composita: ergo necessarius

esset in illa Ecclesia visibilis cultus religiosus, publicus, & communis, ut in eo omnia vnus Ecclesiae membra conuenirent. Neque contra haec omnia inuenio obiectionem aliquam, vel difficultatem, quia nullam habent repugnantiam vel indecentiam, in illo statu, & ex ipsa naturali ratione bene instituta, & praesertim fide illustrata consequuntur ab alijs legibus posituis, vel speciali diuina institutione, quae necessaria sit: Posset enim totus hic cultus hominum arbitrio relinquere, & ex rerum consensione, vel maiorum traditione definir.

SECTIO II.

Vtrum in statu innocentiae futurus esset sacrificiorum & oblationum cultus.

Duplex intelligi potest externus ac sensibilis Dei cultus. Alter, qui fit solis actionibus, & organis corporis humani, alter qui fit aliquo vniuerso rerum. Prior exercemus, quando voce Deum oramus, vel laudamus, quando genua flectimus, vel similes actiones exercemus, quae non habent aliam materiam, circa quam versentur, praeter nostri corporis membra, & eorum usum. Posteriori vero modo colimus Deum, quando res externas illi offerimus, vel sacrificamus, cereos accendimus, vel thus, aut incensum ad eum in eius honorem. Vnde pendet explicatio quaestiois propositae, an in illo statu futurum esset sacrificium. Soto enim negat in statu innocentiae futura fuisse sacrificia, quia omnis finis & ratio sacrificiorum in eo statu cessaret: quia tunc non essent peccata, & ita non essent necessaria sacrificia satisfactoria, neque esset varietas cultus, aut religionis, quia omnes vno ore colerent & adorarent Deum, & omnibus esset notum, omnes esse eiusdem Dei cultores, & amicos, ac iustos, quia omnes essent iustitia procreati, & nulla tunc essent peccata, atque ita non essent necessaria sacrificia, vel ad manifestationem, vel ad distinctionem verae religionis. Neque etiam ad memoriam beneficiorum Dei, quia alijs modis essent tunc homines sufficienter instructi de diuinis rebus ac beneficiis. Nec denique ad gratias agendas conferrent sacrificia, quia omnes tunc simplici corde, & ore Deum laudarent. Confirmatur primo, quia vane offeruntur res sensibiles, nisi censurae sint in usum ministrorum & templorum: tunc autem non essent ministri, neque templa, neque etiam quisquam aliqua re indigeret: quia omnia essent communia: ergo tales oblationes tunc nullius essent momenti: ergo & nullius meriti vel laudis. Tandem confirmatur, quia, seclusa significatione, vanum ac futile est huiusmodi sensibilia sacrificia facere: sed haec significatione non esset necessaria in statu innocentiae: ergo. Haec vero rationes non me ita mouent, quin contrariam sententiam valde probabiliter existimem, & consentaneam doctrinae D. Th. qui nunquam negavit in eo statu futura fuisse sacrificia: quin potius 2. 2. q. 85. art. 1. absolute dicit offerre sacrificium esse de lege naturae: quia ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam rebus sensibilibus vtatur, ut per earum oblationem subiectionem ad Deum significet, & diuinum dominum recognoscat, & similia repetit art. 4. Hoc autem naturale dictamen de offerendo Deo sacrificia: non oritur ex occasione aliqua orta ex peccato, ut ex ratione facta constat: sed ex subiectione, & illius recognitione, quam homo debet Deo, propter supremum eius dominum. Quae ratio ita potest ex dictis confirmari, quia homo non tantum accipit a Deo corpus & animam, sed etiam res externas, quibus ad corporis conseruationem, & animi profectum, oblectationem, vel exercitium vtitur: ergo non solum debet corpore & animo Deum colere, sed etiam rebus externis, quarum oblatione, consumptione, aut alio simili vsu, Deum esse omnium dominum protestetur, eius gratias agat, iuxta illud

Soto negat futura fuisse sacrificia.

Contraria sententia magis probabilis est, & consentanea doctrinae D. Th. qui nunquam negavit in eo statu futura fuisse sacrificia: quin potius 2. 2. q. 85. art. 1. absolute dicit offerre sacrificium esse de lege naturae.

1. Para.

Paralipom. 29. Tua sunt omnia, & de his, quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi, quæ tota ratio & congruentia locum haberet in statu innocentie. Denique huiusmodi usus rerum sensibilium est per se decens, & honestus, & non includit imperfectionem statui innocentie repugnantem, vt ex dictis facile constat: & ex his quæ Soto obiicit: nullam enim in hoc actu imperfectionem ostendunt.

Etiam si Adam non peccasset, probabile est alios peccaturos.

Ad primam enim & præcipuam rationem in primis dicitur, eum supponere, si Adam non peccasset, nulla fuisse futura hominum peccata: quod non solum incertum est, sed etiam minus probabile: nam per iustitiam originale non magis confirmarentur homines in gratia, quam Adam ipse fuit in sua creatione, & prima iustificatione confirmatus: sicut ergo ille peccauit, potuissent alij peccare, etiam si ipse non fuisset lapsus, neq; in illa tota natura corruisset. Quod si peccata alij, cessant omnes rationes Soti: nam pro illis possent fieri sacrificia, vel satisfactoria, vel deprecatoria à viris sanctis & iustis: possent etiam adeo multiplicari peccata, vt diuersi ritus religionis, vel veræ aut falsæ ab hominib. instituerentur. Deinde seclusis omnib. peccatis, esset sufficiens ratio ad instituenta sacrificia, exhibitio diuini honoris, & gratiarum actionis, & causa etiam aliquid impertrandi à Deo. Quanquam n. possent hæc omnia homines corde & ore facere, decebat tamen, vt etiam externis rebus hoc facerent, vt omnibus modis animi gratitudinem, & recognitionem ostenderent. Quod vero de usu temporum, ac ministrorum obiicitur, valde accidentarium est, & extrinsecum ad institutionem, honestatem, & utilitatem sacrificij, vt in lege gratia, si solum sacrificium nude ac per se spectetur, obligatio, quæ in eo sit, non cedit in usum temporum, vel ministrorum: imo si tales essent homines, vt nulla re indigerent, purius ac sincerius illud sacrificium offerre possent. Atq; eadem ratione impertinens est, quod bona sint communia: quia sacrificium non habet honestatem ex eo, quod homo ex proprijs bonis aliquid amittit, vel consumit, vt videre licet in sacrificio Missæ: in quo offerendo fere nihil ex temporalibus bonis consumitur: & æque religiose fieri posset ex bonis communibus, sicut ex priuatis: ergo propter has causas extrinsecas non est negandum sacrificium in statu innocentie, cum per se & intrinseca ratio eius cum perfectione illius status non repugnet, sed maximâ habeat congruentiam. Vnde circa id, quod in vltima confirmatione dicebatur de significatione sacrificij, distinctione opus est, quâ latius inferius traditur fumus.

Sacrificij satis magna causa est gratiarum actio, &c.

Est n. in sacrificio significatio quedam moralis, quatenus est signum interioris sacrificij, & hæc sola est de essentia sacrificij, quæ non repugnabat statui innocentie, nam in eo etiam naturale esset hominib. interioriorem mentem exteriorib. ac sensibilib. signis manifestare, tam verbis, quam factis & rebus. Alia est significatio mystica, quatenus per sacrificij significatur aliquod supernaturale diuinum mysterium, & hæc non est de essentia, ac necessitate sacrificij, absolute, & simpliciter loquedo: & ideo, quamuis gratis concederemus hanc significationem non fuisse futuram in statu innocentie, non inde fit, tunc non fuisse futurum sacrificium: quamquam improbabile non est, potuisse tunc esse significationem aliquam mysticam alicuius diuini mysterij, vt verbi gratia. Christi Domini, qui in eo statu venturus esset, etiam si homo non peccasset: quia sicut hæc mysteria possent tunc significari ab hominibus per verba sensibilia, vel per scripta: ita etiam per facta, vel res externas: cur enim hoc posterius repugnat perfectioni illius status potius, quam illud prius? Mihi igitur probabilius est, usum sacrificij potuisse habere sufficientem congruentiam in statu innocentie, & neq; indecentiam vllam fuisse allaturum: ac deniq; (quod certius est) non futurum fuisse malum, nec contra rationem, nec spe-

Quæ significatio fit de essentia sacrificij.

ciali aliqua Dei lege prohibendum: vanum enim esset, sine fundamento vel ratione aliqua huiusmodi legem fingere. An vero de facto futurus fuisset talis usus sacrificij, si homo non peccasset, non existimo posse certa ratione affirmari, quia licet hoc sacrificium dicatur esse de lege naturæ, vel secundum rationem communem cultus externi, vel quia est consentaneum rationi naturali, tamen simpliciter non est in præcepto naturali, proprie loquendo de sacrificio, prout consistit in sacra oblatione externarum rerum sensibilium: igitur ex sola obligatione legis naturæ non potest certo colligi: homines perseuerantes in iustitia originali viros fuisse sacrificijs, penderet enim hoc ex eorum arbitrio, vel certe ex diuino, si huiusmodi legem eis vellet imponere. Si tamen credendum est, facturos fuisse homines in eo statu, quod esset magis congruum, magisque humane naturæ ac rectæ rationi consentaneum, credibilis est, fuisse vsuros aliquo sacrificio propter rationes supra factas. Denique, si queratur, vtum Adam & Eua ante peccatum aliquod sacrificium obtulerint. Id multo magis incertum est, nam sicut id affirmare non possumus propter illius temporis breuitatem, ita neque est sufficiens fundamentum ad id negandum: nam licet scriptura hoc non referat, non inde sequitur factum non esse, vt in simili dixit D. Thomas 2. 2. quæstione 85. articulo primo, ad primum, vbi dicit credendum esse, Adam obtulisse sacrificium, licet non legatur, loquitur autem absolute de Adam, non distinguendo de tempore, ante vel post peccatum.

Ex sola oblatione legis naturæ non potest certo colligi futura sacrificia, si iustitia donum perseuerasse.

Adam obtulisse sacrificium ante peccatum cur negetur, omnino non est.

SECTIO III.

Verum in statu innocentie fuerint sacramenta, vel futura fuissent peccato non existente.

Prima sententia negat, tenet Hugo Victor. libr. 1. de sacram. part. 2. capit. 3. & 5. & in sum. sent. tract. 9. capit. 1. vbi omnes congruentias sacramentorum ortas dicit occasione peccati. Et hæc videtur esse mens D. Thom. vt diximus, quamuis enim non expresse neget, futura fuisse tunc sacramenta: tamen, cum negat fuisse necessaria, hoc plane intendit, scilicet non fuisse illi statui congruentia, & consequenter, nec in eo futura fuisse: quia Deus suauiter omnia disponit, & in singulis statibus prouidet, quod eis est consentaneum. Idem D. Thom. in 4. d. 1. articulo 2. quæst. 2. & ibi Bonauentura articulo 1. q. 1. Richar. articulo 1. quæst. 1. & Gabriel quæst. 2. concludit. Maior quæst. 4. Palud. quæst. 3. concludit. 2. Altissiod. lib. 4. sum. in principio, Caiet. Soto, & Ledesma. Fundamentum est, quia sacramenta instituuntur propter supernaturalem perfecti onem, vel cognitionem, vel gratiæ: sacramenta enim sunt vel propter significationem, quæ ad cognitionem ordinatur, vel propter effecti onem, per quam gratia confertur: sed neutro modo debuit perfici homo per sacramenta in statu innocentie: ergo non est, cur tunc instituerentur. Probatu minor, nam nobiliora perfici ab inferioribus non est ordo per se conueniens, nisi vel ex necessitate naturæ oriatur, vt cum homo naturalem cognitionem accipit à sensibilibus, vel cum propter aliquam rationem ortam occasione peccati, ita fieri expedit: sed vtraque causa ex his deficit in statu innocentie, quoad institutionem sacramentorum: ergo. Et confirmatur, quia ordo illius status erat, vt homo secundum partem superiorem dominaretur omnibus rebus, eisq; minime subijceretur, quamdiu ipse subiectus esset Deo: ergo durante hac subiectione perfecta hominis ad Deum, non esset ipse subijciendus sacramentis sensibilibus, vt per ea gratiam, vel supernaturalem cognitionem acciperet.

Hugo. Hac sententia confert omnia sacramenta ortas occasione peccati.

Bonauentura. Richar. Gabr. Maior. Palud. Altissiod.

Secunda sententia affirmat, licet in statu innocentie

D V

centia non esset futura tanta necessitas sacramentorum sicut modo est, non tamen fuisse defuturam sufficientem rationem, & causam, ob quam instituerentur. Ita tenet Alexander 4. part. quaestione 1. membr. 2. articulo 1. inclinatur etiam Duran. distinct. 1. quaestione 2. numero 9. nec dissentit Scot. quaestione 3. artic. 3. solum enim dicit, in eo statu non fuisse tantam congruentiam ad sacramentorum institutionem, sicut modo est.

Quid in quaestione inuoluntatur. In hac quaestione multa ab authoribus inuoluntatur, quae confusionem pariunt. Distinguenda ergo sunt, ut distincte possimus quaestioni satisfacere. Primum ergo inquiri potest, an in statu innocentiae fuerit sufficiens congruentia ad instituenda sacramenta: an vero talis institutio oppositionem aliquam vel repugnantiam habeat cum perfectione illius status. Secundum, an instituta fuerint sacramenta in eo statu eo breui tempore, quo durauit: nam licet demus, potuisse hanc institutionem habere conuenientem rationem pro illo statu, non statim sequitur, factam esse: quia non semper facit Deus, quicquid videtur congruenti ratione fieri posse. Tertium, eito de facto non fuerint talia sacramenta, an futura fuissent, si homines in illo statu perseverassent.

Sacramenta essent si in innocentia non dedecet. Dicendum est primo. Sacramentorum institutionem non esse contra debitum ordinem & perfectionem illius status, quinimo potuisse in eo habere sufficientem causam, & congruentiam. Probat, quia dupliciter possunt considerari sacramenta, vno modo, ut signa: alio modo, ut causa gratiae, & utroque modo possunt habere conuenientem rationem in illo statu. Primo de significatione probatur, quia sacramenta, ut signa, non tantum sunt ad acquirendam cognitionem, sed ad alias utilitates. Prima ad exprimendam, & profitendam interiori fidem. Secunda ad excitandam memoriam, & affectum. Tertia, ad quandam representationem supernaturalium mysteriorum, & faciliorem eorum apprehensionem. Quarta, ad consensionem, & unitatem hominum eiusdem religionis in exteriori cultu Dei: sed has omnes utilitates possent habere sacramenta in statu innocentiae sine aliqua imperfectione contraria recto ordini illius status. Quod probo primo, quia in eo statu seruaretur naturalis modus humanae cognitionis, quantum adhuc videlicet, quod excitaretur homo ab obiectis sensibilibus, & intelligeret eum dependentiam a phantasmatibus: & quia non conciperet res spirituales, prout in se sunt, sed per aliquam analogiam ad res sensibiles. Item filij Adae non haberent scientias naturales per accidens infusas, sed eas sibi compararent, vel per inuentionem ab obiectis sensibilibus, vel per disciplinam a parentibus. Vnde necessario vterentur signis sensibilibus ad mentis conceptus exprimendos. Quod vero Sotus inquit, haec habere locum in cognitione naturali, non tamen in supernaturali, quia haec a principio cum ipsa gratia, & iustitia infunderetur, hoc (inquam) si recte pensetur, non habet absolutam veritatem in omnibus. Vnde non sufficit ad excludenda omnia sensibilia signa supernaturalium rerum. Probat, quia, licet cum gratia, & iustitia infunderetur habitus fidei, sicut nunc infunditur infantibus baptizatis: tamen non infunderentur species, & phantasmata, quibus homo indiget ad apprehendendas res fidei, neque fierent omnibus, ac singulis hominibus interiores reuelationes rerum omnium credendarum, sed per traditionem filij a parentibus acciperent: nam hic est modus conaturalis homini viatori, & nulla est causa ad fingenda miracula, vel nouum prouidentiae modum. Deberent ergo tunc homines institui in rebus fidei per voces, & signa sensibilia, easque apprehenderent per habitudinem ad illa, quia in usu fidei a phantasmatibus dependent: ergo pari ratione, si tunc instituerentur alia signa, quae in actionibus, vel

Filij Adae scientias sibi compararunt.

Species rerum fidei non infunduntur eorum fidei.

rebus confisterent, possent habere usum & utilitatem illi statui conuenientem absque imperfectione, vel inuentione ordinis eidem statui conuenientis. Confirmatur argumentum supra factum, quia non est dubium, quin tunc essent futura signa vocalia: credibile etiam est futuram tunc fuisse scripturas, saltem ut possent homines cum absentibus loqui. Item verisimile est, futuras fuisse imagines, non solum propter exercendam artem illam nobilem, in qua homo naturam, & auctorem eius quodammodo imitatur, sed etiam, ut res absentes quodam modo, praesentes fierent: & praeterea in honorem & venerationem aliquarum personarum, & in signum amoris: in illo enim statu futura esset haec imperfectio, quod non possent homines omnes res aequae habere praesentes, neque oculis intueri, quae longe distarent. Neque etiam haberent rerum omnium memoriam in actu continuo, sed indigerent, ut aliquomodo excitarentur ad actum considerandas res, quas memoria retinerent: ergo oporteret ad haec omnia iuari adminiculo sensibilibus signorum: ergo pari ratione possent eis ad hos fines esse utiles actiones sacrae, ad significandas spirituales res, impositae: neque huiusmodi signa essent ab ordine illius status aliena. Tandem, in illo statu futurus erat externus Dei cultus, tam in actionibus, quam in rebus consistens: sed quod Deus huiusmodi cultum ad sacram significationem eleuaret, nullam praese fert indecentiam, nullamque afferret imperfectionem, aut perfectiorem impediret: & potest habere utilitatem: ergo, si fieret, satis congruenter rationem habere possent.

Congruentia varia.

Secundo, si considerentur sacramenta, ut causa gratiae, sub hac quidem ratione habent minorem coniunctionem, seu proportionem cum modo naturali cognoscendi, & operandi hominis, & ex hac parte videtur esse minor congruentia sacramentorum in illo statu, quia talis modus prouidentiae nullo modo debetur naturae, aut oritur ex naturali modo operandi eius. Aliunde vero considerata maxima spirituali utilitate, quae est in obtinenda gratia, seu augmento eius ex vi operis externi, ultra omne meritum operantis, est haec perfectio tanti momenti, ut, si Deus vellent eam conferre hominibus in statu innocentiae, ex hoc solo capite esset maior congruitas in institutione sacramentorum, quam sit in omnibus aliis coniecturis, quae in contrarium afferri possunt. Confirmatur & explicatur, nam decuit in illo statu arceri hominem ab usu ligni scientiae boni, & mali, quae erat quaedam arbor sensibilis: quia id factum est propter utilitatem obedientiae, & humilis ad Deum subiectionis: ergo propter eandem obedientiam, & humilitatem: & maxime adiuncto praeterea fructu gratiae ex opere operato, potuisset, & conuenienter, & satis congruenter, praecipere homini in eo statu usum alicuius rei sensibilis, quo & Deum coleret, & ipse magis sanctificaretur. Tandem, quia conferre gratiam per res sensibiles, est vnum ex maximis operibus sapientiae, potentiae, & bonitatis diuinae, quia res infimas cum supremis in eo opere mirabiliter coniungit, quod est magna sapientiae: & res inferioris ordinis eleuat ad perfectiores efficiendas: quod est magna potentiae, ac denique in rebus facilibus, & quae passim vsu veniunt, sanctificationem suam & gratiam praestat, quod est magna bonitatis & misericordiae: ergo huiusmodi opus non solum propter utilitatem hominum, sed per se propter manifestationem diuinae virtutis, poterat in statu innocentiae sufficiens congruentia habere: nam hic & potissimum finis diuino operum, eorum praesertim, quae supernaturalia, ac miraculosa sunt: ergo sacramenta sanctificantia possent esse congrua statui innocentiae, non ad medicinam peccatorum: sed ad maiorem perfectionem. Nec contra assertionem hanc obstant fundamenta prima sententiae, nam licet non sit naturalis ordo, ut homo periciatur per sensibilia in gratiae augmento;

Sacramenta ut causa gratiae non tantam habent proportionem cum modo operandi hominis.

Adeptio gratiae vna maxima causa facit ad institutionem sacramentorum simile.

Non oportet
ut sacramen-
ta in se
aut in re
sua natura
sunt peccati,
sed alia etia
rationibus.

Adamo in
statu innocen-
tiae nullum
sacramen-
tum tradidit
quod sacra-
mentum.

Num ma-
trimonium
in statu in-
nocentiae fue-
rit sacra-
mentum.
Ephes. 5.

Hugo.

Respondeatur
proprie non
fuisse sacra-
mentum.

Adam pri-
mum per re-
velationem
cognovisse
matrimonium,
non, ut inde
proportio, ut
matrimonium,
cum illa pro-
babile.

augmento, vel intentione, sed supernaturalis: ta-
men non est necesse, ut hoc fiat solum occasione pec-
cati, cum per se habeat alias contentientes rationes
vel congruentias tam ex parte Dei, quam hominis,
neque hoc esset proprie hominem subijci sensibili-
bus rebus, sed Deo in usu alicuius rei sensibilis, quod
non repugnabat cum perfectione illius status, ut
ostensum est in exemplo ligni scientiae boni & mali.

Secundo, dicendum est de facto, nullum fuisse sa-
cramentum institutum, aut traditum Adamo in
statu innocentiae, quatenus breui tempore ante la-
psum duravit. Haec assertio non potest certo funda-
mento ostendi, quia non est reuelata in scriptura,
vel traditione haec pars, qua negatur fuisse sacra-
menta in eo statu, sit autem verisimilis ex eo, quod
nullibi fit mentio talium sacramentorum, & cum
aliunde tempus, quo ille status duravit, fuerit bre-
vissimum, ita ut vix potuerit esse locus tali sa-
cramentorum: cumque Deus praescisset instantem
lapsum hominum, & amissionem illius status: non
erat, cur ipse pro tam breui tempore institueret sa-
cramenta, neque etiam Adam potuit ea instituire,
aut definire, etiam si hoc illius arbitrio fuisset com-
missum. Et ad hoc confirmandum valent illae conie-
cturae, quod primi homines pro illo breui tempore
non indigerent sacramentis, quia erant perfecti in
scientia, & cognitione rerum supernaturalium, &
in gratia & iustitia, quantum pro tunc oporteret.

Solum potest obijci, quia Matrimonium videtur
tunc fuisse sacramentum, Paulus enim ad Ephes. 5.
loquens de coniugio Adae, & Euae, dixit, Sacramen-
tum hoc magnum est, ego autem dico in Christo &
Ecclesia. Dicit potest, Paulum non dicere: sacramen-
tum hoc magnum fuit, sed sacramentum hoc mag-
num est, ut sit sensus: Matrimonium, quod in Adam,
& Eua inchoatum fuit, nunc esse sacramentum signi-
ficans coniunctionem Christi cum Ecclesia, non ve-
ro, quod à principio eam rationem vel significatio-
nem haberet. Sed contra hoc est, quia fere omnes
Patres ex his verbis Pauli colligunt in formatione
Euae ex costa Adami, & in coniugio veriusque signi-
ficatam fuisse incarnationem Verbi Divini, eamque
significationem propheticè reuelatam fuisse Adamo,
ut in primo tomo huius tertiae partis, quaeft. 1. in
commentario art. 3. fuisse dictum est. Vnde Hugo, de
San. Viç. lib. 1. de sac. par. 8. c. 12. & 13. & ab assertio-
ne posita excipit Matrimonium, quod solum sacra-
mentum dicit esse institutum in statu innocentiae.
Addit vero hoc esse intelligendum de sacramento,
quantum ad significationem: quo verbo indicat se
loqui de sacramento in generali significatione, qua
completur, quodcunque mysterium, figuram, vel
signum rei sacrae. Dicendum est ergo, Deum illo ope-
re voluisse quidem praesignificare desponsationem.
Verbi cum humana natura, seu Christi cum Eccle-
sia, non tamen instituisse proprie contractum ma-
trimonii in sacramentum: quia neque aliquam ho-
minis sanctificationem illud ordinavit, neque fecit il-
lud caeremoniam sacram, aut religiosam, cum cer-
tum apud omnes sit, tunc non fuisse datam gratiam
ex opere operato per Matrimonium: cum enim hoc
sit opus gratiae maxime supernaturale, non est sine
fundamento affirmandum. Addit etiam D. Tho. in
4. d. 1. art. 2. qu. 2. Adam non cognovisse mysterium
Incarnationis per illud signum sensibile Matrimo-
nij, vel formationis Euae ex costa sua: sed è contra-
rio potius, postquam perfecte cognoverat futurum
mysterium per divinam reuelationem, cognovisse
per insulam sapientiam (quam habebat) proportio-
nem, & analogiam, quae erat inter Matrimonium il-
lud, & mysterium futurum: & ita aenigmatice praedi-
xisset, & prophetasse mysterium futurum sub ve-
lamine rei sensibilis: itaque significat, illud signum
non tam fuisse à Deo impositum, quam ab ipso Ada-
mo cognitum, & accommodatum, quod est proba-

Franc. Suarez Tom. 3.

bile. Quocunque vero modo id factum sit, recte ex
hoc facto colligimus, quod antea dicebamus, non
repugnasse perfectioni illius status uti sensibilibus
signis ad spiritualia & divina mysteria explicanda.

Tertio dicendum est, incertum esse, si status inno-
centiae absque peccato durasset, an in illo futura fuisset
sacramenta. Ratio est, quia sacramentorum in-
stitutio pendet ex voluntate decretum divinae vo-
luntatis, ex quo necessario sequatur, futuram fuisse
vel non fuisse sacramentorum institutionem in illo
statu, si durasset. Probat, quia non est nobis reue-
latus modus providentiae, quem circa res omnes ser-
vaturus esset Deus in eo statu, sed solum nobis con-
stat, si Adam non peccasset, generandos fuisse homi-
nes in originali iustitia, & gratia, ac perfecta naturae
integritate, ex hoc autem solo principio, nec colligi
potest futura tunc fuisse sacramenta, nec non fuisse,
ut ostensum est. Rursum, nec reuelatum nobis est,
quale decretum habiturus tunc esset Deus circa sa-
cramentorum institutionem. Et licet possint inue-
niri congruentiae, ob quas credi possit Deum in-
stituturum sacramenta, tamen, neque Deus semper ope-
ratur, quod humano discerni, & ratiocinationi
congruum videtur, neque deessent aliunde rationes,
ob quas videre posset congruum, ut in eo statu sa-
cramenta non instituerentur, sicut videmus angelis
nulla fuisse data spiritualia signa, per quae sanctifi-
carentur ex opere operato ultra meritum operan-
tis, aut quibus iuuarentur ad supernaturalium re-
rum cognitionem: ergo idem credi potest de homi-
nibus in statu innocentiae, servata proportione sen-
sibilium signorum, nam angelico more viverent &
immortalem vitam agerent sine vilo impedimento
corporis vel sensibilium affectionum.

Futura ne
fuerint sa-
cramenta, si
status inno-
centiae du-
rasset, in-
certum.

Simile.

Si Christus
non fuisset
venturus,
nec futura
sacramenta
verisimilia.

Dices, si quid tandem asserendum est, quid existi-
mandum probabilior habere coniecturam? Re-
sponderetur primum, si quis sentiat, non existere pec-
cato, Deum non fuisse futurum hominem, probabi-
lius existimabit, nulla tunc fuisse futura sacramenta
sensibilia. Quod primo colligere licet ex omnibus
sacramentis, quae de facto instituta sunt, omnia enim
ad significandum Christum, & gratiam ab illo man-
nantem referuntur, & omnia sunt aliquo modo
medicinae, vel subsidia aduersus peccatum, vel effe-
ctus ab illo manantes: ergo, si ex his, quae de facto
operatus est Deus, creditur non existente peccato
non fuisse futurum principale mysterium, quod est
causa omnium sacramentorum, & remedium
omnis peccati, consequenti ratione credendum est,
non fuisset tunc futura sacramenta. Deinde, quia si
congruentius agendum esset, multo maiores sunt ut
Deus fieret homo absque hominis peccato, quam ut
per sacramenta sensibilia gratiam significaret, aut
conferret, multo enim magis in eo opere manifesta-
ret ipse suam sapientiam, bonitatem & potentiam,
& maiores utilitates ex illo beneficio hominibus pro-
uenirent: ergo, si, hoc non obstante, negatur futu-
rum fuisse illud mysterium, multo magis negan-
dum est de ceteris sacramentis.

At vero si supponamus, homine non peccante
Christum fuisse venturum, dicendum ulterius est,
credibile esse, nullum tunc fuisse instituendum sa-
cramentum, antequam ipse in carne veniret. Pro-
batur, quia neque essent instituenda sacramenta eo
tempore, ut cause gratiae, neque ut signa tantum. Pri-
mum patet, quia in eo statu omnis gratia à Christo,
& eius meritis deriuaretur supposita praedicta sen-
tentia, ergo, si aliqua sacramenta possent conferre
gratiam, eam virtutem haberent ex meritis Christi,
est autem, & ipsius Christi dignitati, & suo modo
naturis rerum consentaneum, ut instrumentalis vir-
tus ad gratiam efficiendam non conferatur instru-
mentis separatis, nisi per coniunctum organum di-
uinitatis, ergo ante realem existentiam humanita-
tis, &

Si Christus
fuisse ven-
turus, nec
quidem fu-
tura ante
ipsum adue-
ntum credi-
bilium est.

D



Sacramenta sunt instrumenta humanitatis Christi. Paul ad Galas.

In statu innocentia contemplationi perpetuo sepe vacatur.

Post Christi incarnationem futura sacramenta Eucharistia praeteritum probabile.

Baptismus, Pœnitentia, Vnctio, nequam esset: nec est. Confirmatio.

Matrimonij sacramentum ex parte videtur non futurum.

Sacramentum Ordinis probabiliter censetur futurum.

tis, & vnionem eius cum verbo, non tribueretur hec virtus alicui sacramento, sicut neque nunc data est, quia omnia huiusmodi sacramenta sunt instrumenta humanitatis. Secundum patet, quia vti signis sensibilibus, egenis, ac vacuis, est imperfectio quaedam pertinens ad legalem seruitutem, & puerilem pædagogiam, vt ex Paulo sumitur in Epist. ad Galat. non ergo indigerent homines in illo perfectissimo statu hoc imperfecto prouidentia genere: nam propter vitam innocentissimam, ac pacatissimam, & perfectam parentum traditionem homines essent in rebus fidei satis instructi, quarum contemplationi, quasi perpetuo vacarent, & tam propter hanc causam, quam propter corporis impassibilitatem: tum etiam propter frequens studium, vsu, ac sermone de diuinis mysterijs, nec memoria exciderent, nec extrinsecus adiumentis indigerent, quibus ad istarum rerum intelligentiam, & considerationem excitarentur.

Vltimo tamen probabiliter credi potest, post Christi incarnationem futurum fuisse, tunc aliquod sacramentum, quod maxime videtur probabile de sacramento Eucharistia: quia hoc sacramentum est per se maxime expectabile, & independens à peccato, seclusa significatione passionis, quæ facile excludi potest, manente reali presentia Christi, & intima vnione, qua nos sibi coniungit per hoc sacramentum, quæ est per se primo in illo intenta: de qua redicemus plura infra tractantes de hoc sacramento. Ex alijs vero sacramentis constat, baptismum non fuisse necessarium, quia homines sine peccato in iustitia nascerentur: vnde sicut nunc sunt natura filij iræ, ita tunc essent natura filij iustitiæ, & filij Dei: ideoq; alia spiritali regeneratione non indigerent: atq; eadem est ratio de pœnitentia, & de extrema vnctione, quæ peccatum, aegritudinem, ac corporis mortalitatem supponunt. De confirmatione nonnulla posset esse maior suspicio: quia abundantia Spiritus sancti, quæ per illud sacramentum datur, omni tempore, & absque vlla occasione peccati optari maxime posset, tamen etiam negandum est, hoc sacramentum futurum fuisse in eo statu, quia præsertim ordinatur ad profitendam fidem, superando difficultates & pericula, seu persecutiones Tyrannorum, quæ in eo statu locum non habent: item quia homines in eo statu alijs medijs satis essent in gratia perfecti. Atq; eadem fere ratio est de Matrimonio: nam, cum in eo statu futurus esset contractus matrimonij, & aptus esset ad significandum mysterium Christi, videtur facillime potuisse eleuari ad rationem sacramenti, & ideo facile credi posset, ita faciendum fuisse, & ad perfectionem sine imperfectione pertinuisse: aliunde vero, si consideretur proprius finis, propriusq; effectus huius sacramenti, non videtur in eo statu necessarium: quia in eo tempore esset matrimonium sine libidine, & concupiscentia inordinata, & sine difficultate, quæ nunc est in sustinendis oneribus, matrimonij: propter quas duas causas nunc præcipue est institutum hoc sacramentum. Maior deniq; probabilitas videri posset esse de sacramento Ordinis, propter habitudinem, quam habet ad Eucharistiam, sed hoc etiam incertum est: fingere vero alia sacramentorum genera, quæ tunc institui possent, & voluntarium est, & præter omnem scientiam, quia in infinitum excogitari possunt.

Solum illud prætermittendum non est, quod à multis interrogatur, & desideratur, supponendo potuisse homines peccare in eo statu: an pro his, qui peccassent, instituendum esset aliquod sacramentum in remedium peccati. Dico ergo, incognitum nobis esse, quo modo tunc Deus prouidurus esset huiusmodi hominibus, an statim puniret illos nullo concessio pœnitentia tempore, sicut in malis angelis fecit, videri enim potest hoc consentaneum illi statui. Tum, quia homines sola voluntate absque passio-

ne, vel simili fragilitate peccarent: tum etiam, quia non expediret, peccatores amplius in hoc mundo viuere, ne felicem innocentium vitam, & statum perturbarent: aut, si credibilis est, vt re vera est, illis fuisse concedendum tempus & locum pœnitentiæ, quia non aliter peccarent, quam Adam, & Eva, quibus hoc remedium negatum non est, quia humana natura non est ita inflexibilis, sicut angelicæ, incidimus in aliam ambiguitatem, an tales homines peccatores perpetuo separarentur ab alijs hominibus iustis extra paradysum, & an possent originalem iustitiam, & priorem statum recuperare, ac deniq; quo remedio remissionem peccati, & iustitiam consequi possent. Omnis vero, quæ ad presentem locum non pertinet, verisimilius videtur, remedium amoris, & contritionis futurum fuisse sufficiens absque aliquo sacramento: quia (quantum credi potest) pauci essent homines, qui in eo felici statu peccarent, atque illi facile possent ad pœnitentiam, & contritionem moueri, ipso saltem experimento propriæ miserix, & felicissimi status per peccatum amissi, sicut Adam conegisse legimus, quem sapientia eduxit de delicto suo, vt dicitur Sap. 10. Item, quia posito sacramento Pœnitentiæ, vel cum illo requireretur contritio ad remissionem peccati: & sic parum ad eam remissionem iuuaret, vel remitteret peccatum sine contritione: & hæc indulgentia videtur nimia pro illo statu, in quo tam facilis est dilectio Dei. Sed de rebus adeo incertis, & absconditis, hæc coniectasse sufficiat.

Pro peccantibus in eo statu satis videtur remedium amoris & contritionis sine sacramento.

ARTICVLVS III.

Verum post peccatum ante Christum, sacramenta debuerint esse.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod post peccatum ante Christum sacramenta non debuerint esse. Dicitur enim, quod per sacramenta passio Christi hominibus applicatur, & sic passio Christi comparatur ad sacramenta, sicut causa ad effectum. Sed effectus non procedit causam. Ergo sacramenta non debuerunt esse ante Christi aduentum.

4 d. 1. q. art. 2. q. 4. Art. 1. huius q. ad 3.

2. Præterea, Sacramenta debent esse conuenientia statui humani generis, vt patet per Augustinum, 19. contra Faustum. Sed status humani generis non fuit mutatus post peccatum, vsque ad reparationem factam per Christum. Ergo neq; sacramenta debuerunt immutari, vt præter sacramenta legis natura, alia statuerentur in lege Moysis.

Lib. 19. c. 16. & 17. 10. 6.

3. Præterea, Quanto aliquid est magis propinquum perfectio, tanto magis debet ei assimilari. Sed perfectio salutis humane per Christum facta est, cui propinquiora fuerunt sacramenta veteris legis, quam ea, quæ fuerunt ante legem. Ergo debuerunt esse similia sacramentis Christi. Cuius tamen contrarium apparet, ex eo, quod sacerdotum Christi predicatur esse futurum secundum ordinem Melchisedech, & non secundum ordinem Aaron: vt habetur Heb. 7. Non ergo conuenienter fuerunt disposita ante Christum sacramenta.

Sed contra est, quod Augustinus dicit 19. contra Faustum, quod prima sacramenta, quæ celebrabantur & obseruabantur ex lege, pronuntia erant Christi venturi. Sed necessarium erat ad humanam salutem, vt aduentus Christi pronuntia- retur. Ergo necessarium erat ante Christum sacramenta quadam dissoni.

Lib. 17. c. 13. in prim.

Respondendo dicendum, quod sacramenta necessaria sunt ad humanam salutem, in quantum sunt quadam sensibilia signa inuisibilium rerum, quibus homo sanctificatur. Nullus autem sanctificari potest post peccatum, nisi per Christum, quem proposuit Deus propitiorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, vt sit ipse inustus, & iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi. Et ideo oportebat ante

ante

ante Christi aduentum esse quedam signa visibilia, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Saluatoris aduentu. Et huiusmodi signa dicuntur sacramenta. Et sic patet, quod ante Christi aduentum, necesse fuit quedam sacramenta institui.

Ad primum ergo dicendum, quod passio Christi est causa finalis veterum sacramentorum, que scilicet ad ipsam significandam sunt instituta. Causa autem finalis non precedit tempore, sed solum in intentione agentis. Et ideo non est inconueniens aliqua sacramenta ante Christi passionem fuisse.

Ad secundum dicendum, quod status humani generis post peccatum & ante Christum, dupliciter potest considerari. Vno modo secundum fidei rationem, & sic semper vnus & idem permanfit, quia scilicet iustificabantur homines per fidem futuri Christi aduentus. Alio modo potest considerari secundum intentionem & remissionem peccati, & expresse cognitionis de Christo. Nam per incrementa temporum & peccatum cepit in homine magis dominari, in tantum quod ratione hominis per peccatum obtenebrata, non suffi. erent homini ad recte viuendum precepta legis naturalis, sed necesse fuit determinari precepta in lege scripta, & cum his quedam fidei sacramenta. Oportebat etiam, quod per incrementa temporum magis explicaretur cognitio fidei, quia vt Greg. * dicit, Per incrementa temporum creuit diuine cognitionis augmentum. Et ideo etiam necesse fuit, quod in veteri lege quedam sacramenta fidei, quam habebant de Christo venturo, determinarentur. Quae quidem comparantur ad sacramenta, que fuerunt ante legem, sicut determinatum ad indeterminatum, quia scilicet ante legem non fuit determinate prefixum homini, quibus sacramentis vteretur, sicut fuit per legem: quod erat necessarium, & propter obtenebrationem legis naturalis, & vt esset determinator fidei significatio.

Ad tertium dicendum, quod sacramentum Melchisedech, quod fuit ante Legem, magis assimilatur sacramento nouae Legis in materia, in quantum, scilicet obtulit panem & vinum (vt habetur Gen. 14.) sicut etiam sacrificium nouae legis oblatione panis & vini perficitur: Sacramenta tamen legis Moisaica magis assimilantur rei significatae per sacramentum, scilicet passioni Christi, vt patet de agno Paschali, & alijs huiusmodi. Et hoc ideo, ne propter continuitatem temporis, si permaneret eadem sacramentorum species, videretur sacramenti eiusdem esse continuatio.

COMMENTARIVS.

IN hoc articulo D. Thom. duo tempora comprehendit, scilicet tempus legis naturae, & legis scriptae: nam, licet in eis temporibus institutio sacramentorum fuerit in eis statibus diuersa, vel quantum ad determinationem maiorem, vel minorem, vel quantum ad clariorem significationem: tamen ratio significandi gratiam, vt futuram per Christum fuit vtriusque communis, & propriam differentiam constituens inter omnia illa, & sacramenta nouae legis, & ita sunt facilia omnia, quae D. Thom. posuit. Ex quo obiter colligere licet, quam sit doctrinae D. Thom. consentaneum, quod supra diximus, de ratione sacramenti esse, vt significet gratiam Christi: quibusdam vero significari vt futuram: alijs vero, vt praesentem.

DISPUTATIO. IV.

De institutione & necessitate sacramentorum legis naturae.

Distinguius claritatis gratia tempus illud, quod a peccato Adae, vsque ad Christum intercessit (de quo sub vno titulo D. Th. egit, art. 3.) in duo tempora, scilicet Franc. Suarez Tom. 3.

legis naturae & scriptae: & quamuis hoc posterius proprie inceperit a Moyse, per quem lex data est: tamen quia circumcisio, quae in lege scripta permanfit, multis annis legem antecessit a dieb. Abraham, cui praecpta fuit, ideo tempus hoc legis naturae solum vsque ad institutionem circumcisionis extendimus: illud enim legis naturae tempus appellatur, in quo tantum vigeat lex naturalis in mentibus hominum scripta, & nulla fuerant a Deo data specialia praecpta, quibus peculiaris cultus, aut determinatae caeremoniae ordinariae ac regulariter hominibus praeciperentur. Cum autem de lege naturali agimus, non intelligimus solum illud dictamen rationis, quod manat ex pura natura hominis, seu ratione naturali nude sumpta: numquam enim humana natura huiusmodi statu legis naturae habuit: quia sicut creata fuit ad supernaturalem finem, ac semper a Deo habuit media, quibus illum consequi posset, ita semper habuit aliqua supernaturalia praecpta, quibus ad eundem finem dirigeretur. Comprehendimus ergo sub lege naturae ea praecpta, quae conaturalia sunt gratiae & iustitiae supernaturali, sed illud dictamen rationis, quod non tantum ex naturali lumine, sed etiam ex fide supernaturaliter reuelata ac sufficienter proposita intrinsece oritur, quae sunt praecpta fidei, spei, charitatis, poenitentiae, & similia, quae per se & ex natura rei sunt necessaria ad vitam recte instituendam, in ordine ad finem supernaturalem, & ita sunt intelligenda, quae ibi D. Thom. docet, art. 3. ad 2. & q. praeced. art. 5. ad 3. & 1. 2. q. 98. art. 5. & q. 100. art. 1. Ex quo intelligitur, ita cum illum legis naturae distingui a statu legis veteris, tamquam partem a toto, seu tamquam includens & inclusum, seu tamquam determinatum & indeterminatum, vt eisdem locis D. Thom. notauit: nam, quidquid erat necessarium ad salutem in lege naturae, fuit etiam in lege veteri: sed haec addidit aliqua peculiariora, seu determinata praecpta. Rursus hinc fit, quia illa praecpta legis scriptae non omnes obligabant, sed tantum Israeliticum populum; ideo solum respectu illius populi distingui haec duo tempora: nam respectu aliorum hominum, quia ea lege non tenebantur, vsque ad Christum & legem gratiae durauit: imo, quod pertinet ad praesentem questionem, etiam in populo Israelitico durauit remedium illius legis ad tollendum originale peccatum, saltem respectu foeminarum, vt postea videbimus. De hoc ergo tempore difficile est inquirere, quae sacramenta in illo fuerint, quia per pauca sunt nobis de illo reuelata, aut scriptura diuina, aut Patrum traditione: vt vero distinctior sit inquisitio, visum est, prius dicere de hoc speciali sacramento, quod ad remedium originale peccati ordinatur: quoniam de illo maiora esse possunt veritatis vestigia, vel indicia, quae, prout poterimus, inuestigata facile erit de reliquis sacramentis illius temporis generatim dicere.

SECTIO I.

Verum in lege natura potuerint infantes ante usum rationis ab originali peccato, aliquo remedio liberari.

Praemitimus questionem hanc, quoniam necessaria est ad inueniendam & definiendam veritatem, quam inquirimus, specialiterque agimus de infantibus, quia de adultis non est dubium, quin saltem per conuersionem in Deum ex vera fide per charitatem operante possent iustificari, & ab originali peccato facilius, quam ab actuali liberari. An vero remedium pro paruulis institutum illis prodesset potuerit, facile postea dicemus. Ratio autem dubitandi in primis est, quia in tota antiquitate ferè nulla est mentio huius remedij, saltem ante Augustinum: in scriptura enim nihil de eo legitur, neque ante institutam circumcisionem, neque post illam.

Tempus legis naturae quod.

Lex naturae intelligitur dictamen rationis, non solum ex naturali, sed etiam ex supernaturali lumine oritur.

Lex naturae respectu aucturum a populo Israelitico durauit vsque ad Christum.

D. V. 11.

* Homil. 16. in Ezech. 2. medio.

applicari non poterat, relictas esse sine remedio, quo tolleretur peccatum originale: sed ad hunc electum nullum remedium legitur esse institutum in illa lege: nam si aliquod esset huiusmodi, esset proprium foeminarum, & non adhiberetur viris, qui circumcidebantur, nullum autem tale remedium fuit in illa lege: nam, si quod esset maxime presentatio, seu oblatio in templo: hæc autem communis erat viris, & foeminis: signum ergo est, non fuisse institutam illam ceremoniam in remedii originalis peccati: ergo signum est, illud ipsum remedium, quod in lege natura fuit, perdurasse, & vtile fuisse foeminis in populo Israelitico, tam ab Abraham vsque ad Moysen, quam postea in toto tempore legis naturæ: ergo signum est, simile remedium semper fuisse à Deo prouisum omnibus infantibus, tam viris, quam foeminis. Prima propositio in hac ratione assumpta videtur per se nota, tum, quia non est verisimile in eodem Dei populo infantibus viris prouisum esse remedium ad salutem, non autem foeminis: tum etiam, quia foeminae ante usum rationis offeriebantur Deo, & fiebant participes sacramentorum, & ceremoniarum illius legis, quod nullo modo fieret, nisi in diuinam amicitiam prius essent reconciliata.

Nullum reliquit Deus sine remedio.

August.

Ad rationes in contrarium iam facile est dictis respondere. Ad primam negatur proprie loquendo, Deum reliquisse aliquem sine remedio ad salutem iuxta sui status capacitatem: quamquam enim non de singulis in particulari prouiderit, vt eis efficaciter applicaretur remedium generaliter omnibus prouisum: tamen, quantum in ipso est, omnibus prouidit: praeuidens autem in quibusdam futurum esse impedimentum, ne illis posset remedium ad salutem applicari, id permittit vt voluit, & hoc sensu dixit August. quosdam sine remedio reliquisse, hæc enim promissio, seu voluntas non repugnat vniuersali, ac sufficienti gratiæ, quam de se omnibus obtulit, & ideo esse potest accommodata ad manifestationem diuinæ iustitiæ: secus vero est de voluntate relinquendi aliquod genus hominum sine sufficienti remedio pro aliquo litari: id enim, quamuis ex rigore iustitiæ fieri posset, non esset tamen consentaneum generali voluntati, qua Deus omnibus hominibus redemptionem ac salutem obtulit. Ad secundum dicitur latius infra quest. 62. concedendum est enim, ante Christi aduentum aliquibus datam esse gratiam ex diuina promissione ad presentiam alicuius signi, vel operis proprio merito, vel dispositione, si illius capaces non erant: quamquam ille modus proprie non fuerit ex opere operato, & in hoc sit aliqua diuersitas, inter illa remedia, & nostra sacramenta, quæ prædicto loco explicanda est. Ad tertium parebit ex sectione sequenti.

SECTIO II.

Verum ad tollendum peccatum originale infantium in lege natura sufficiens fuerit interior fides parentum, vel fuerit præterea necessaria aliqua actio exterior.

Paruulorum actio non fuit necessaria.

EX dictis in præcedenti sectione nonnulla per se clara & certa colligere possumus. Primum est, hoc paruulorum remedium non potuisse adhiberi per propriam actionem ipsorum paruulorum: agimus enim de statu eorum ante usum rationis, in quo non sunt capaces humanarum actionum: alie vero actiones, vel passionis, quæ vel mere naturales sunt, vel casu eueniunt ab extrinseco, non sunt apta media ad prædictum effectum: alias, vel omnes iustificati fuissent per aliquam naturalem actionem, sicut omnes originali culpa inficiuntur, quia per modum naturæ communicatur in ipsa naturali generatione, vel certe Deus suo arbitrio iustificaret, quos velleret, & ita non omnibus prouidisset certum, ac definitum remedium.

Franc. Suarez Tom. 3.

Secundo est certum, hoc remedium debuisse applicari per aliquam humanam actionem parentum, seu eorum, quibus paruulorum cura incumberet. Patet, quia nec ex parte ipsius remedij, nec ex parte eius, per quem applicandum erat, potest aliquid aliud accommodatum excogitari: nam, quod fuerit necessaria aliqua actio humana, patet, quia si hominibus nihil agentibus, Deus iustificasset aliquos paruulos, vel iustificasset omnes, vel aliquos tantum suo arbitrio, vel certe per causas aliquas naturales gratiam communicaret, quæ omnia sunt absurda, & improbabilia. Rursus neque hoc remedium positum fuit in aliqua sanctitate habituali parentum, aut alia simili condicione, ratione cuius filij orti ex talibus parentibus iustificarentur: quia sicut nulla sanctitas, vel conditio parentum impedire potuit, ne filij in peccato originali conciperentur, & nascerentur: ita nec poterat esse sufficiens, vt ratione illius tolleretur postea originale peccatum, sine alia operatione. Præterea, quod hæc actio debuerit esse parentis, vel alterius, qui eius vicem gereret, patet, quia non poterat esse ipsius paruuli, vt dictum est: quia non erat capax, & optime congruebat, vt qui per alienam actionem, peccatum contraxerat, per alienam etiam voluntatem iustitiam consequi posset. Neque etiam ad alterum hoc magis pertinebat, quam ad parentem: quia filius est sub cura eius, & quando propriam non habet, regendus est etiam in his, quæ ad animam spectant, voluntate parentis: & ita seruatum videmus in alijs remedijs paruulorum à Deo institutis in lege veteri, & noua, de quibus nobis magis constat.

Aliqua hæc humana actio requisita est.

Tertio conueniunt omnes, huiusmodi remedium positum fuisse in aliqua actione, vel professione fidei, & cultus religiosi, quo paruulus dicaretur Deo, & cultui eius manciparetur ex fide, & intentione parentis, vel eius, per quem remedium applicabatur. Cuius ratio est, quia, cum per hoc remedium sanctificandi essent paruuli, & in diuinam amicitiam reuocandi, necesse est, vt hoc fieret per aliquam actionem sacram, & ad Deum pertinentem, & quia fundamentum omnis iustitiæ, & omnis veri cultus diuini est fides, ideo necessarium dicitur, illam actionem aliqua ratione fuisse operationem fidei: & hoc sensu dicunt omnes fuisse tunc paruulos iustificatos in fide parentum, vt magis in sequentibus explicabimus. Igitur inquirendum restat, qualis fuerit illa actio, sensibilis ne, vel mere interna, & spiritualis, vt postea dicere possumus, an fuerit sacramentum, necne.

Remedium hoc in alio quo cultus religioso cõsistebat.

Prima sententia est, illum actum solum fuisse interne fidei, ita tamen, vt per fidem non intelligatur sola credulitas intellectus, sed aliqua alia moralis actio interior à fide manans, qua patres filium suum Deo offerret, vel salutem spiritualem ipsius deprecareretur, vel aliquid simile. Ita sentit Bonau. dist. 1. art. 2. q. 1. & 2. Rich. art. 5. q. 1. & 2. qui fundant effectum, seu fructum huius remedij in merito de congruo ipsorum parentum, & nihilominus dicunt sufficientem fuisse informem fidem eorum, quia hæc satis est ad meritum de congruo. Sed hi authores in hoc, & falsum supponunt, quia re vera ad meritum de congruo non sufficit fides informis, & præsertim ad merendam alteri gratiam & sanctitatem: & præterea non satis explicant vim, & radicem huius remedij: quia, vt esset infallibile, quod necessarium est, vt esset verum remedium, non satis erat meritum de congruo, quia non semper & infallibiliter habet effectum, sed necessaria erat diuina promissio, & hanc oportet ostendere. Quod si hæc intercessit, non erit necessarium meritum de congruo, sed sola illa actio, quam diuina promissio postulabat. Alia ergo via defendit eandem sententiam D. Thom. in 4. d. 1. q. 2. artic. 6. quæstion. 1. & 2. vbi dicit, per interiorem fidem parentum fuisse paruulos iustificatos ex vi diuinæ promissionis, & quasi opere operato: vnde

1. Sententia mediocris hæc in actibus interna fidei consistit.

D 3 conf.



consequenter negat, fuisse tunc institutum aliquid sacramentum in remedium paruulorum, quia non erat signum sensibile, sed actus mere interior, quod si interdum adiungebatur exterior, id erat accidentarium: nam ex vi solius interioris actus esset iam collatus effectus. Et eandem sententiam late defendit Soto in 4. d. 2. quæst. 1. art. 4. circa med. Et primo fundari potest auctoritate Aug. libr. 2. de Nup. cap. 12. vbi dicit, per fidem fuisse iustificatos tam paruulos, quam adultos, quamuis mysterium iustificationis ex fide, multos latuerit. Magis fauet Tertul. lib. de baptis. c. 13. dicens, olim fuisse sufficientem fidem sine sacramento ad consequendam salutem, postea aucta fide, additum fuisse sacramentum. Sed ibi non loquitur specialiter de paruulis. Quapropter clarius videtur docere hanc sententiam Gregor. 4. moral. 2. & 3. vbi dicit, Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium circumcisionis. Vbi, vt differentiam aliquam constituat inter paruulos, & adultos, intelligere necesse est, cum dicit, solam fidem suffecisse pro paruulis, excludere omnem actum externum: alioqui nulla esset differentia, atq; eodem modo loquitur Beda lib. 2. in Luc. c. 8. & Bernard. Epist. 77. & Hug. de Sanct. Viêt. lib. 1. de sacram. pag. 11. c. 3. & 6. & pag. 9. cap. 5. qui addit, fuisse quidem in ea lege aliquod sacramentum pro paruulis, illud tamen fuisse deuotionis, non necessitatis. Secundo, probatur ratione, quia status legis natura, vt supra dicebamus, non includit præcepta diuina positia, sed solum ea, quæ ex intrinseca ratione fidei, & gratiæ in humana natura existentis consequantur: sed vt aliqua externa & sensibili actione ad remedium paruulorum, non sequitur necessarium ex fide, aut gratiæ: ergo non erat necessarium in illo statu. Dices, hæc ratione probaretur etiam, actum interiorē non fuisse necessarium, quia ex sola rei natura non sequitur hæc necessitas. Respondetur, ideo dixi consideranda esse præcepta, quæ consequuntur gratiam & fidem, prout in humana natura existunt: naturale autem est homini, vt parenti incumbat, tam spiritualis, quam corporalis salus filij: & ideo ex intrinseca natura gratiæ sequitur, vt parentes habentes fidem de lapsu filiorum, & de necessitate remedij, quam habent, vt Deo reconcilientur, debeant, quod in ipsis est facere, & aliquo modo filios suos Deo offerre, vt iustitiam coram illo consequantur: & quia hoc necesse est, vt fiat saltem per actum internum, ideo ipsa lex nature obligat parentes saltem ad huiusmodi remedium, at vero actus exterior non erat necessarius ex sola rei natura: oportere ergo, vt eius necessitas maneret ex præcepto diuino positio, quod in eo statu nullum erat. Confirmatur, quia, cum eo tempore fides esset valde obscura & implicita, præsertim de Christo & de lapsu primi hominis a originali peccato, oportuit præter fidem nihil aliud exigi in remedium paruulorum, vt remedium, quod propter ignorantiam erat difficillimum, & à paucissimis cognosci & adhiberi poterat, fieret aliqua ex parte facile, vt aliquibus saltem applicari posset, & in hoc est magna differentia inter statum legis nature, & legis scriptæ, vel gratiæ, propter quam non licet ab exemplo harum legum sumere argumentum ad statum legis nature.

Secunda sententia, quæ probabilior nobis videtur, est hoc remedium paruulorum in lege nature non fuisse positum in solo interiori actu, sed, debuisse applicari per aliquem actum externum, qui esset veluti exterior professio interioris fidei. Hæc est communior sententia Theologorum. Alex. Alenf. Scot. Dur. Palud. Gab. Maior & aliorum in 4. d. 1. vt latius sequen. sectio. referam, & Adria. in 4. q. vlt. de Bapt. ad 2. & Armachan. lib. 8. de quæst. Armen. c. 27.

August.

Tertul.

Gregor.

Beda.

Bernard.

Hugo.

Status legis
natura non
includit præ-
cepta diuina
positia.

Hoc reme-
dium debuit
applicari
per actum
externum.

& videtur manifesta D. Thom. hic, & quæst. præced. art. 5. & clarius infra, quæst. 70. art. 4. ad 2. vbi, cum dixisset, solam fidem parentum fuisse sufficientem paruulis ad salutem in lege nature, subdit inferius, verisimile esse debuisse eam fidem aliquo sensibili signo manifestari. Et primo probari potest hæc sententia D. Aug. auctoritate, nam licet aliquando hæc quæstionem attingens eam non definiat, dicens sacram historiam hoc tacuisse, vt videre licet. 15. de Ciuit. c. 16. & lib. 2. de gra. Christi, seu de pecc. orig. c. 30. tamen lib. 5. contra Iul. c. 9. eam definit verbis, quæ sectione præcedenti retuli, quæ in sequenti iterum attingam, & eandem sententiam indicat Cyprian. lib. de Car. Christi operibus cap. de circumcissione Christi, dicens. Sane originale peccatum, quod à primis parentibus in totam generis huius successionem defluxit, omni tempore aliquibus remedijs oportuit expiari, licet vim plenam significantia non habuerint, donec ad rem ipsam ventum est, quæ figurarum operiebatur velamine, vbi aperte dicit, illa remedia habuisse significationem sensibilem, & statim illa vocat Sacramenta, & rationem reddit, cur externis actionibus fieret, scilicet, ad præfigurandam Christi mortem, & diuinam sententiam ab initio in peccatum prolatam. Secundo probatur ratione hæc in lege nature opinio, quia in lege nature necessarius erat cultus Dei externus & sensibilis: ergo pro huiusmodi cultum, seu per actum ad illum pertinentem debuit fieri hæc sanctificatio paruulorum. Hanc rationem late profequitur Cano in relect. de sacram. in genere. c. 3. Sed fere omnia, quæ adducit ad probationem antecedentis pertinent, quod tamen adeo clarum est, vt nulla noua probatione indigeat, maxime suppositis, quæ de statu innocentie diximus, de consequentia vero, in qua est difficultas, pauca dicit. Probari autem potest primo, quia cum per hoc remedium paruuli initiarentur, & cultum diuino consecrarentur, oportebat, vt per illud genus cultus sanctificarentur, qui est homini ac commodatus, & Deo ab homine debitus, sed hic tantum non est interior, sed etiam exterior: ergo. Secundo, quia hominibus non solum est necessaria ad salutem fides, sed etiam fidei professio: ergo eo modo, quo paruuli participare poterant fidem, scilicet per parentes, vel (vt ita dicam) non actiue, quæ non poterant illi elicere, vel profiteri fidem, sed passiuè, quia per alios fieri poterat fidelis, & professores fidei: eo (inquam) modo, quo erant capaces, vt rumque debuit circa illos exerceri. Tertio, quia cum Ecclesia ex hominibus constans sit visibilis, valde consentaneum illi est, vt hoc remedium esset sensibile, tum, vt consistere posset, Ecclesiæ tale remedium esse applicatum, ne oporteret, aut semper esse in dubio, aut inutiliter repeti: tum etiam, quia per hoc remedium fierent paruuli membra Ecclesiæ, sicut nunc fiunt per baptismum, vel synagoge fiebant per circumcissionem: oportuit enim, vt coniunctio ad corpus visibile, per actum sensibilem fieret. Aliter colligit Dur. hanc rationem, scilicet, quia iustificatio paruuli fiebat ex merito de congruo totius Ecclesiæ: ergo oportebat fieri per aliquam actionem, quæ in persona Ecclesiæ fieret: ergo per actionem sensibilem, nam actio pure interior, cum sit ignota Ecclesiæ, non est apta, vt nomine eius fiat. Sed fundamentum huius rationis, vno sensu est falsum, alio vero est probabile, nam si intelligat propriam causam, ob quam dabatur, & promittebatur iustitia paruulis, fuisse meritum Ecclesiæ, est falsum: nullus enim meretur alteri primam gratiam, præsertim infallibiliter dandam & sine proprio motu suscipientis, nisi solus Christus: & ita solum meritum eius est propria causa huius promissionis & iustitiæ. Si vero intelligat, illud meritum de congruo fuisse veluti conditionem necessariam, quam Deus tunc exigebat, est quidem probabile in eo sensu, quo Aug. dicit epist. 23. per charitatem to-

August.

Cyprian.

In lege nature
cultus
Dei exter-
nus necessa-
rius.

tium

ius Ecclesie adiungi paruulos ad fidelium communem: non est autem intelligendū, fuisse necessarium aliquod meritum actuale ministri, vel Ecclesie: quia, licet nullus actus bonus nunc sancte ferret, iustificaretur paruulus ex vi diuine promissionis: sicut nunc fit in baptismo: sed solum est intelligendū, decuisse actionem illā fieri ministerio publico, atque ita in persona Ecclesie, vt actio moraliter conferretur magis accommodata, & ex parte hominum aptior ad illum effectum obtinendum. Quarto accedit similis ratio ex parte Christi, quia per hoc remediū coniungebantur hi paruuli Christo capiti, & in virtute illi⁹ sanctificabantur, & ideo, sicut Christus, non tātum sperabatur Deus, sed etiam homo, & caput hominū homogeneum, & sensibile, ita oportebat, modo etiā externo, & sensibili, in illo regenerari. Quinto adde- re possumus, peccatum originale cōicari per actionem corpoream, & sensibilem, & ideo ad profitemdam totius humane nature ruinam, indigētiā, ac vitiatam originem, debuisse per actionem etiam sensibilem ab hac peccati macula liberari, per quam etiam tacite profitebantur homines, quod sicut per vntum hominem peccatum intravit in mundum, ita per alium salutem sperabāt, vt Cyp. supra indicauit. Tandē hie modus maxime est accommodatus homini ad operandum circa alium, & quodammodo cōicandū illi fidem suam. Ad argumenta in contrarium proposita respōdetur, primo ad testimonia Patrū, ad Aug. de cuius sententia iam constat, respōdetur, quamuis non semper meminerit signi sensibilibus, nunquā tamen illud exclusisse, & cū in dicto loco ait, homines in lege nature fuisse per fidem iustificatos, sicut nō excludit opera, ita etiam non excludit actus externos, qui ad salutem erāt necessarij: sed fidem distinguit à lege, & à specialibus remedijs, seu sacramētis à Deo designatis. Et eodem modo loquitur aperte Tertul. ac similiter Greg. sub fide includit fidei professionem, & applicationem humano more factam: differentia autem, quam constituit inter paruulos, & adultos, hæc est, quod quia paruuli non habent nisi originale peccatum, illis sufficiebat sacramentum fidei ad salutem: adultis vero prope actū alia peccata necessaria erant sacrificia, per quæ Deo satisfacerent, saltem ex opere operantis, vt notauit supra D. Tho. in 4. quæstion. 3. & eadem est responsio ad omnes alios Patres, qui Greg. imitati sunt. Ad rationem recte ibi respōsum est, supposito statu nature lapsæ, & indigentia gratiæ & fidei, & natura rei sequi, vt teneantur parentes subuenire filijs, & remedium ad comparandam iustitiam & expellendam culpam necessarium adhibere: quale aut futurum esset hoc remedium in actu exteriori, siue in interiori tantum, necessario dicendum est, interuenisse aliquam institutionem diuinā, quæ ex sola rei natura sequi non potest. Et ita difficultas in illa ratione tacta cōis est in omni opinione. Ad quod dicendum est, quamuis status legis nature non includat specialia præcepta diuina, non tamen excludere eam providentiam, eaq; auxilia, & remedia ad salutē, quæ iuxta conditionem & statū nature lapsæ sunt necessaria: & ideo etiam in eo statu prouidisse medium aliquod ad salutē paruulorum procurandā, q. mediū magis constituit in actu exteriori, quam in solo interiori: quia hoc est magis consentaneum humane nature, vt dictum est: hoc aut remediū instituto, & dato à Deo ex natura rei, sequebatur obligatio parētum de filiorū salute procuranda per tale remedium. Ad confirmationem respondetur supposita interiori fide, nihil difficultatis fuisse in exhibendo aliquo exteriori signo, præferenti voluntario. i. ex se indifferenti & arbitrio hominis determinando, vt scēt. seq. dicitur. Quocirca quamuis exemplo legis scri-

ptæ & gratiæ nō possumus argumētari, hoc remediū in lege nature positum fuisse in aliquo actu determinato ex diuina institutione. sicut in prædictis legibus determinatum fuit propter varios status, & diuersam fidei perfectionem his statib. respōdentem, tamen recte ex illo exemplo possumus colligere, saltem in genere hoc remedium etiam in lege nature fuisse sensibile, quia in lege scripta & gratiæ, non solum est definita actio ad huiusmodi remedium, sed etiam institutum est, vt esset sensibile: ergo signum est, hunc modum sanctificationis sub signo sensibili esse maxime accommodatum homini lapsō, atq; pad- eo seruatum esse etiam in lege nature modo proportionato illi statui.

S E C T I O I I I.

Verum in lege nature fuerit institutum aliquod verum sacramentum, quo peccatum originale deleteretur.

PRima sententia est, fuisse in eo statu institutum à Deo, determinatum signum sensibile sub certa quadam ceremonia sensibili à Deo definita, vt ea facta, seu applicata paruulis, illis originale peccatum remitteretur: vnde fit, hoc signum fuisse vere ac proprie sacramentum. Ita sentit Scot. in 4. d. i. q. 6. & 7. Ratio huius est, quia peccatū originale, semper fuit remissum per regenerationem in Christo: ergo per aliquod signum visibile: ergo oportuit hoc signum esse determinatum ex diuina institutione, vt iustificatio sub tali signo esset omnino certa, & professio fidei esset magis clara, & expressa. Hęc sententia affirmat rem in certam sine fundamēto, & ideo à cæteris Theologis relicta est. Assumptū declaratur: quia in primis, neq; in scriptura, neq; in Patrib⁹, neq; in vlla historia est aliquod vestigiū huius traditionis, vel institutionis determinati signi. Deinde ad certitudinē iustificationis nō erat necessaria talis determinatio: quia, si Deus generati promittat remittere originale peccatum per fidem parentū, quocumque actu externo filijs applicaretur, non esset minus certa, & infallibilis iustificatio, imo ex parte signi requisiti, quod dammodo esset certior, vel saltem facilius, quia ex parte promissionis diuinæ æqualis est infallibilitas: ex parte vero conditionis requisitæ facilius est applicare quemcumq; actum in genere, quam certam, ac definitā ceremoniam. Rursus, nec propter fidei clariorem professionem expediebat tunc fieri talem signi determinationem diuinā: quin potius, propter eam causam expediebat non fieri. Primum quidem, quia in eo statu fides erat imperfecta, & obscura, propter quod implicita fides Christi ad salutem sufficiebat: ergo non erat necessarium, vt professio fidei esset adeo clara & explicita: tum etiam, quia eo tēpore non conueniebāt omnes fideles in eodem ritu externo colendi Deum: ergo non expediebat, ritum sanctificandi paruulos esse eundem apud omnes homines, sicut nunc est in vniuersa Ecclesia: quam rationem attingit D. Tho. infra quæstion. 70. art. 4. & sequenti. Et confirmatur præterea, quia difficillimum erat eo tempore conseruari apud omnes fideles traditionem huius remedij certi, & determinati, quia non habebant scripturas, nec erant ita perfecte congregati in vnum corpus, vt possent huiusmodi traditiones perfecte conseruare: vnde fiebat, vt valde imperfectam haberent huiusmodi rerum cognitionem. Confirmatur secundo, quia oportebat hanc determinationem fieri per propriam legem Dei positivam: nulla autem vniuersalis lex de aliqua ceremonia determinata creditur eo tempore data, quia non erat illi statui consentanea, nam propterea vocatur status legis nature. Tandem, si hoc remedium determinatum fuisset, perduisset pro scēmis in lege veteri: nullibi autem legimus factam esse mentionem huius remedij vel ceremoniæ, neque in scriptura sacra, neque in alijs authoribus Hebræis.

2. Sententia
ponit signu
sensibile, ta
men negat
sacramentu.

Secunda sententia est, hoc remedium paruulorum, quamuis in aliqua sensibili actione positum esset, non tamen fuisse verum sacramentum, ita tenet Duran. in 4. d. 1. q. 8. Fundamentum eius est, quia sacramentum esse debet ceremonia aliqua à Deo determinata ad significandam gratiam, quæ sub tali opere, vel ceremonia datur ex diuina promissione: sed hoc remedium paruulorum, neque erat ceremonia determinata à Deo, nec erat proprie instituta ad significandam gratiam, sed solum erat quædam actio meritoria de congruo, ratione cuius Deus dabat gratiam: & ita non aliter significabat illam, quam alia opera meritoria illam significent: ergo illa actio non magis erat sacramentum, quam sint cetera opera meritoria. Sed hoc fundamentum Duran esse diximus sectione precedenti, scilicet, per huiusmodi actum fuisse iustificatos paruulos verè ac propriè ex merito operantis Ecclesiæ, & non solum ex meritis Christi, sicut nunc iustificatur in baptismo, vel olim in circumcissione, quod omnino falsum existimo, vt latius infra dicam q. 62.

Fuit sacra
mentum sub
indetermina
ta cere
monia.

D Thom.

Alon.
Palud.
Gabr.
Cano.
Aug.

Cypria.

Dicendum ergo est, in lege naturæ fuisse quoddam sacramentum ad iustificationem paruulorum, & remedium originalis peccati institutum, quamuis ex diuina institutione non fuerit determinata ceremonia, seu actio sensibilis ad significandum imposita, sed ex hominum arbitrio ad certum actionis modum definitur: quia hoc non est contra veram rationem sacramenti. Hæc est sententia D. Thom. hic ad 2. vbi docet vera fuisse sacramenta ante legem scriptam, quæ comparantur ad sacramenta legis scriptæ, sicut indeterminatum ad determinatum: idem q. præced. art. 5. ad 3. & infra quæst. 70. art. 4. ad 2. vbi cum inquit, ante legem non fuisse requisitum aliquod signum potestatiuum fidei ad iustificandos paruulos, intelligi debet de signo determinato & fixo, eandem sententiam tenet Alexand. Alenf. 4. part. q. 1. membr. 3. art. 3. clarius q. 5. memb. 1. Palud. in 4. d. 1. q. 5. art. 5. & Maior. q. 4. circa fin. Gabr. qu. 2. art. 3. dub. 1. vbi hoc modo Scotum interpretatur, late Cano dicta relect. de sacramen. in gene. part. 3. Et probatur primo ex August. dicto loco contra Iulian. lib. 5. cap. 9. vbi dicit non esse negandum, quin in lege naturæ, parentes subuenirent filijs aliquo sacramento fidei: Cyprian. etiam dicto sermone de Circumcissione Christi, sacramentum vocat hoc remedium. Ratione vero probatur assertio, quia in primis hoc remedium erat aliqua ceremonia sensibilis ad sanctificationem paruulorum ordinata, quia instituta erat ad remedium originalis peccati, vt supponimus, quod peccatum non deletur sine hominis sanctificatione. Rursus hæc sanctificatio necessario significabatur per hoc remedium, quia ad hoc institutum erat, vt intelligerent homines, adhibita tali ceremonia exteriori hominem interius sanctificari à Deo: significabatur ergo gratia per huiusmodi ceremoniam sensibilem, & consequenter etiam significabatur, vel explicite vel saltem implicite venturus mediator, in cuius fide, & spe meritum eius illa gratia obtineretur: ergo nihil in eo opere seu remedio deerat ad veram rationem sacramenti. Quod enim talis ceremonia sit determinata in specie, & in particulari, ex institutione diuina, aut in genere tantum, & modus ac determinatio eius commissus fuerit hominum arbitrio, nihil refert ad veram rationem sacramenti, vt patet ex supra tractatis de essentia & definitione sacramenti. Et ratio etiam est facilis, quia, licet in sola diuina institutione sacramentum non sit determinatum ad hanc vel illam actionem, seu ceremoniam: tamen, cum in re ipsa exercetur: semper adhibetur determinata ceremonia sacra, quæ hic & nunc est verum signum interna sanctificationis, & in hoc consistit essentialis ratio sacramenti. Quod autem illa determinatio hic & nunc orta sit ex sola institutione diuina, vel etià ex arbitrio

humano, hoc solum pertinet ad causam extrinsecam efficientem sacramentum, non vero mutat intrinsecam rationem, & naturam sacramenti, sicut si Christus instituisset baptismum, non solum in aqua naturali, sed in genere, in quacumque aqua naturali, seu artificiali, vel in quocumque liquore, non propterea non esset verum sacramentum, quamuis in particulari determinatio aquæ, vel liquoris, humano arbitrio fieret.

Simile

Obiectio

Vna sola obiectio superest contra hanc sententiam, quam attigit D. Th. præced. q. ar. 5. arg. 3. quia sequitur, remedium paruulorum coarctatum esse in lege scripta, vel gratiæ magis, quam esset in lege naturæ, quia nunc determinata ceremonia requiritur, remedium autem eo facilius, & generalius est, quo minus rem habet determinationem, & in re quacumque adhiberi potest. Respondetur negando sequela, primum quidem, quia licet nunc sit determinata ceremonia paruulorum ad regenerationem, tamen est valde facilis, & in rebus consistens, quæ obuiæ sunt, & præ manibus fere semper habentur. Deinde, quia sicut nunc oportuit determinari hoc signum ob expressiorem fidei significationem, & representationem, & maiorem Ecclesiæ vnitatem, ita notius est omnibus hoc remedium, & ex hac parte facilius applicari potest, licet determinatum sit, quantum olim posset remedium legis naturæ, quantumuis indeterminatum ac indifferens.

Responsio

Vltimo ex dictis colligitur, hoc remedium precipue esse institutum propter paruulos, quia ipsi eo maxime indigebant, adulti enim, cum per propriam dispositionem sanctificari possent, illo simpliciter non egebant, propter delendum peccatum, quamuis ad profitendam fidem, & coniunctionem quandam exteriorum cum Ecclesiâ visibili, quæ tunc erat, oportebat eos vti aliqua sensibili ceremonia iuxta vniuersi sui que populi seu regionis consuetudinem & ritum. An vero hoc remedium haberet rationem sacramenti respectu adultorum, & an obligari fuerint ad vtendum illo, non solum ob fidei professionem seu confessionem, sed etiam ob remissionem peccati, dicemus infra q. 62. vbi explicauimus, quomodo remissio peccati per gratiam fuerit effectus huius sacramenti.

Hoc remedi
institutum
propter paru
ulos.

SECTIO IV.

Verum in lege naturæ fuerint alia sacramenta.

In hac questione explicanda diuisi sunt D. Thom. discipuli. Cano enim dicta relectio. de sacram. in genere. part. 3. docet fuisse varia sacramenta in lege naturæ. Cuius fundamentum solum est, quia in illa lege fuit necessarius cultus Dei externus, qui non consistit in vno solo actu, quo remittitur peccatum originale, sed in multis alijs, quibus homines vti possunt & ad suam sanctificationem, & ad fidei professionem. Quæ ratio potest in hunc modum explicari: quia ad cultum Dei perfectum quatuor requiruntur, ex D. Th. 1. 2. q. 101. ar. 4. scilicet, sacrificia, sacra, obseruantia, & sacramenta: sed in lege naturæ fuit perfectus Dei cultus, & fuerunt tria priora, quæ fere coniuncta sunt cum vero vsu religionis: ergo etiam credendum est fuisse sacramenta in illo statu. Confirmari potest hæc opinio, quia omnes vtilitates sacramentorum supra posita in disputatione præcedenti locum habent in tempore legis naturæ: & præterea alia, quæ occasione peccati orta sunt, scilicet vt homo, qui male vtendo creaturis corporalibus ceciderat, illis se subiiciendo ad suam sanctificationem humiliaretur, & confunderetur. Item, vt homo, qui per creaturas sepe Deum offendit, assueceret per easdem Deum colere, & ad vsus sacros illas conuertere. Denique vt homo lapsus, ad idololatriam pronus, in vera Dei fide, & vero cultu per hæc sacramenta sensibilia conseruaretur.

Can. de hoc
re sententia

feruaretur, & in vnum politicum corpus congregaretur. Fauet tandem huic opinioni, quod antiqui Doctores, qui de lege naturæ tractant, non in singulari, sed in plurali, definiunt sacramenta in illo statu fuisse, ita enim loquuntur Hug. de Sanct. Victor. D. Th. Scot. Richa. Palud. & alij scilicet præced. citati, præsertim in 4. dist. 1.

Sententia
 Aliorum vero opinio est, in ea lege nullum fuisse sacramentum proprie dictum præter illud, quod hæcenus explicuimus. Et hæc tribui potest illis authoribus, qui nec prædictum sacramentum, neque aliud aliud proprium in ea lege admittunt, ex quibus videtur esse D. Th. in 4. d. 1. q. 1. art. 2. quæstionum 3. vbi licet doceat in eo statu fuisse sacramenta, tamen id postea explicat de solo cultu externo per sacrificia, & oblationes. & idem sentit Durand. ibi. q. 2. & Soto d. 1. q. 2. art. 3. & dist. 2. q. 1. art. 4. & Ledesm. 1. p. 4. q. 2. art. 3. Et hæc sententia absolute videtur probabilior, indiget tamen aliqua expositione. Aliud est enim loqui de cultu externo in genere, seu de actibus sensibilibus, quibus homines fidem exterius profitentur, & interiorem cultum ostendunt. Aliud vero est loqui de propriis sacramentis, quæ solum partem continent illius cultus & specialem institutionem, ac significationem requirunt. Rursus aliud est loqui de illo statu legis naturæ secundum communem, & ordinariam legem, aliud vero de speciali aliquo casu, seu prerogatiua alicuius personæ.

D. Thom.
Durand. Ledesma

In legem naturæ fuit cultus Dei exterior per sacrificia & oblationes.
 Dico ergo primo, in lege naturæ fuisse cultum Dei externum per sacrificia, oblationes, & alias similes ceremonias. In hac assertionem conueniunt fere oēs auctores supra citati: quamuis videantur differre: quia aliqui sentiunt, hunc cultum fuisse necessarium ad salutem: alij vero tantummodo voluntarium, quod significat D. Th. loco proxime citato, & Hug. Victor. li. 1. de sacra. p. 11. c. 3. & q. 12. c. 3. vbi differentiam constituit inter sacramenta legis naturæ & veteris, quod illa fuerunt voluntatis, hæc necessitatis, illa ex voto, hæc ex præcepto, & Anacl. Papa episc. 2. c. 2. sic dicit, Abraham & antiquos Patres ante Aaron obtulisse sacrificium spontanea voluntate. Sed intelligendum est fuisse voluntarium, quoad determinationem, & modum cultus, vt ait D. Th. 1. 2. q. 103. art. 1. cum enim neque ex natura rei determinatus sit neque ex speciali Dei institutione, quæ in illo statu non fuit, recte dicitur cultus ille, quoad modum, & determinationem fuisse voluntarius: at vero absolute loquendo de cultu externo, siue per hanc, siue per illam actionem exhibeatur, dicendum est illum fuisse necessarium, necessitate præcepti naturalis, vt constat ex 2. 2. q. 84. & 87. & infra in materia de sacrificio iterum dicemus. Et probari facile potest ex dictis præcedentibus disputationibus, vbi ostendimus hanc obligationem oriri ex naturali compositione hominis ex corpore, & anima, & ex origine, quam à Deo habet secundum vtramque rationem, & ex modo viuendi, quam natura sua postulat in congregatione, & societate aliorum hominum. Ex hoc ergo principio sequitur necessarium conclusio posita: nam in tempore legis naturæ semper fuerunt aliqui homines iusti, qui vero Deo cultum ex naturali lege debitum exhiberent, nam ab initio mundi semper Ecclesia durauit, & vera fides ac religio. Confirmari hoc potest traditione ex scriptura desumpta, nam à principio Abel & Cain cœperunt colere Deum rebus externis: & idem legimus de aliquibus hominibus sanctis ab Adam vsque ad Noe, & à Noe vsque ad Abraham, vt latius tractabimus infra agentes de sacrificio. Confirmari etiam potest, quia non solum fideles, sed etiam Gentiles hoc semper obseruauerunt, vt quos Deos colerent, eos cultu aliquo externo venerarentur, vnde Genes. 41. & 47. fit mentio sacerdotum Aegypti, & terræ sacerdotalis, & Exodi 2. & 3. nominantur sacerdotes Madian, & idem est frequens in scriptura, & alijs historijs. Quin potius notant sancti

Namque desunt veri Deorum.

Patres, propterea Deum tanta sacrificiorum & ceremoniarum multitudine Israeliticum populum orasse, vt eum à cultu externo idolorum, quo gentes utebantur, abstraheret: signum ergo est, ipsam naturam esse propensam ad hunc cultum tribuendum Deo: & consequenter, si recte instructa sit, verumque Deum agnoscat, eum interius, & exterius culturam: fuit ergo hic cultus in lege naturæ in sanctis hominibus, qui veram Dei fidem, & religionem retinuerunt.

Dico secundo, quod in statu legis naturæ communi & ordinaria lege non fuerunt aliqua ceremonia, quæ præter rem haberent propriam rationem sacramentorum præter illud, quod fuit in remedium paruulorum. Probatur primo, quia non fuerunt alia ceremonia, in quibus significaretur gratia aut præsens, quæ in illis daretur, aut futura, quæ in illis promissa significaretur: sed de ratione proprii sacramenti est, vt gratiam significet: ergo non erant alia ceremonia, in quibus propria ratio sacramenti inuenta fuerit. Maior quoque ad priorem partem communis est, & certa, & latius q. 62. dicturi sumus, quia specialis promissio gratiæ, in aliquo opere præter meritum operantis, per se loquendo erat præter statum, & perfectionem illius temporis: & ideo solum propter extremam paruulorum necessitatem facta est illi operi, seu remedio, quod ad tollendum originale peccatum est institutum: de alijs vero, neque est necessitas, nec fundamentum ad id asserendum. Posterior vero pars in prima propositione assumpta probatur, quia talis significatio futuræ gratiæ non poterat esse, nisi ex institutione diuina, vt supra dictum est: nam debet præctice continere & exhibere diuinam promissionem: nulla autem legitur huiusmodi diuina institutio: neque est vlla ratio sufficiens, vt asseratur: neque est consentanea illi statui, qui legis naturæ dicitur, quia non habebat positius leges, & ceremonias. Confirmatur, quia si tunc Deus instituisset huiusmodi sacramenta, quæ essent prognostica, & præsentarent res futuras, instituisset illa, in particulari definiendo proprios ritus illorum, alioqui non posset fieri commode representatio cum debita proportionem, & analogiam: in quo non est eadem ratio de sacramento paruulorum: quia in illo præcipue attendebatur necessitas, & remedium paruuli, quamuis significatio non esset tam ac commodata, & expressa: scilicet vero dicendum esset de illis sacramentis, quæ propter significationem præcipue instituerentur. Secundo argumetur, quia hæc sacramenta non erant necessaria in eo statu ad cultum Dei: neque ad aliquem alium finem, qui ex necessitate aliqua morali sit coniunctus cum lege naturæ: ergo non fuerunt tunc talia sacramenta. Patet consequentia, quia in eo statu illa tantum fuere, quæ sunt aliquomodo de lege naturæ: seu, quæ vel ex parte Dei, vel ex parte hominis habent necessitatem aliquam, propter quam ex naturali ratione fide illustrata dicuntur, vel eligantur. Antecedens veropate, quia triplex fingi potest necessitas talium sacramentorum. Prima est in remedium peccati: & hæc, secluso originali peccato, nulla est, quia cætera sunt actualia, quæ, sicut à solis adultis per proprios actus committuntur, ita per propria eorum dispositionem remitti possunt, & quamquam in hoc possint adulti multum iuari per sacramenta, in quibus gratia conferatur, & maxime, si talia sint, quæ faciant hominem ex attrito cõtritum, tamen hæc perfectio superat imperfectionem illius temporis, & ita ut, vt dictum est. Secunda necessitas potest sumi ex aliqua sanctificatione hominum colentium Deum: at vero, si sermo sit de sanctificatione per gratiam, iam dictum est, esse supra conditionem vel imperfectionem illius legis & status: si vero sermo sit de sola sanctificatione externa, & legali, in primis non est cur hæc censeatur necessaria, quia fideles sufficienter sanctificabantur, & aggregabantur Ecclesiæ Dei per illud

D. W.

illud sacramentum, quod diximus esse institutum in remedium originalis peccati: præterquam quod nulla alia sanctificatio exterior est communiter cultoribus Dei necessaria, sed illa tantum, quæ sit per externos actus poenitentia, religionis, & aliarum virtutum. Solum in sacerdotibus videtur esse quædam specialis necessitas, quia proprio quodam modo destinantur ad cultum Dei, sed neque illis tunc erat necessaria exterior sanctificatio, vel consecratio, quia primogeniti, quasi iure hereditario erant sacerdotes, vel poterat certe sola extrinseca deputatione ad illud munus destinari: quo sensu videtur dixisse Anacleti. Papa in dict. epist. antiquos illos Patres, non obtulisse sacrificium sacerdotali auctoritate: illa scilicet, quæ data est Aaron, per vñtionem sacram, & alias ceremonias à Deo institutas. Deinde, licet admittamus, fuisse tunc ceremonias ordinatas ad aliquam externam sanctificationem fidelium, non sequitur illa fuisse sacramenta: quia non significabant gratiam præsentem, nec præfigurabāt futuram, nec talis significatio est per se necessaria ad cultum Dei. Tertia necessitas sacramentorum esse potest, propter fidei professionem, quæ ratione utitur D. Th. in hoc art. 3. & ex illa generaliter colligit, debuisse esse sacramenta ante Christi aduentum: unde videtur loqui, & ratiocinari de toto illo tempore, etiã legis naturæ: vt patet, tum quia principia, quæ assumit, cõmunia sunt illi statui, scilicet quia homines semper fuerunt iustificati in fide Christi, quã oportuit signis visibilibus protestari: tum etiam quia in solutio. ad 2. de vtroque tempore legis naturæ, & scripturæ conclusio nem explicat, & in vtroque dicit fuisse sacramenta, quamuis in modo institutionis, & determinationis fuerint diuersa. Nihilominus tamen ex hoc solo capite non possunt colligi propria ac perfecta sacramenta, quia professio fidei sine sacramentis proprie dictis fieri poterat multis alijs modis, vt per verba, per sacrificia, & per alias similes exteriores actiones: sicut nunc in lege gratiæ præter sacramenta habemus plures alios exteriores actus, quibus fidem profite mur. Quocirca, licet in sacramentis sit quidam peculiaris modus profitendi fidem, & significandi spiri tualem sanctificationem, qui ad perfectiorem cultum religionis pertinet: & ideo vtile, vel congruum fuerit, hunc modum profitendi fidem Christi venturi fuisse vñtatum ante aduentum eius, vt fides ei⁹ melius conferuaretur, & homines ad illum suscipiendum paulatim disponderent, non tamen necesse fuit, hunc modum cultus generaliter incipere à tem pore legis naturæ, sed satis fuit inchoari tempore legis scripturæ: in quo propter hominum peccata fides erat obscurior, & rarior, ac ratio magis obtenebra ta. Præterea, quamuis admittamus, aliquem sacramentorum vñm debuisse esse in lege naturæ, satis esse videtur ille, qui in prima fidei professione, seu in illo sacramento, quod in remedium originalis peccati institutum fuit, exercebatur, nullum ergo est sufficiens fundamentum, vt asseramus fuisse in eo statum alia sacramenta.

Obiectio.

Respondetur.

Dices, in lege naturæ fuerunt vera & propria sacrificia, cur ergo non admittimus fuisse etiam plura sacramenta vera & propria, & non vnum tantum? Respondetur, non esse eandem rationem, quia, vt supra tetigi, & infra tractando de sacrificio iterum dicam, de ratione sacrificij per se solum est significatio moralis interioris cultus diuini: quam significatio nem potest habere sacrificium ex hominum impositione absque speciali Dei institutione: at vero sacramentum proprie constituitur per significationem mysticam gratiæ sanctificantis, quam non potest habere certam, & infallibilem, nisi ex Diuina institutione. Dices, quamuis primaria ratio sacrificij visibilis consistat in significatione inuisibilis sacrificij interioris, tamen supposita fide Christi venturi, quam in lege naturæ homines habebant, poterant suis sacrifi-

cij adiungere significationem mysticam, absque speciali institutione diuina solum per generalem institutionem fidei, quomodo probabile est Abel sua oblatione significasse ac figurasse sacrificium Christi: ergo eodem modo poterant tunc homines ducti fide instituire aliquas ceremonias ad sanctificationem aliam quam hominum exteriorem, eisque adiungere significationem futuræ gratiæ Christi, & redemptionis eius: ergo potuerunt esse illo tempore hoc modo sacramenta. Respondetur, huiusmodi institutionem, & sanctificationem in primis non habere fundamentum. Deinde non sufficere ad perfectam rationem sacramenti, de qua nos agimus, vt patet ex definitione supra data: & quia illo modo essent nunc in Ecclesia multa alia sacramenta præter septem à Christo tradita. Vnde bene aduertit Soto loco supra citato, antiquos Doctores, qui de sacramentis legis naturæ loquuntur, præsertim scholasticos post Hugonem de sanct. Victor. loco nuper citato vfos esse nomine sacramenti cõmuniore significatione, qua oblationes, sacrificia, & similia solent vocari sacramenta, non quia propriam rationem sacramentihabuerint, sed quia, cum eo tempore non fuerint perfectiora signa sacra, illis accommodatum est commune nomen.

Ex qua doctrina colligitur, hæc sacramenta impropria, quæ in lege naturæ fuerunt, non fuisse simpliciter necessaria ad salutem necessitate mediij, præter illud vnicum sacramentum ad remedium originalis peccati institutum, quod saltem respectu paruulorum erat medium necessarium ad eorum salutem: nam de adultis fortasse alia est ratio, vt inferius dicemus. At vero reliqua sacramenta, seu potius sacrificia, & ceremoniæ externæ, non erant proprie necessaria media ad salutem, quia nec tollebant peccatum: nec conferebant interiorem sanctitatem ex vi sua, sed erant necessaria necessitate præcepti, quatenus erant determinata ad reddendum Deo cultum debitum, sicut erat necessarium honorare parentes, vel alios similes actus exercere. In quo est magna differentia inter fidem interiorem vitam, & exteriorem professionem eius: nam illa est necessaria necessitate præcepti & mediij: quia continet substantialem animi iustitiam, & Dei cultum, hæc vero solum est necessaria ex præcepto, seclusa speciali institutione Dei, & ita fuit in lege naturæ, vt notauit D. Thom. in 4. dist. 1. q. 2. art. 6.

Dico tertio. Ex singulari Dei beneficio, & reuelatione, interdum fuisse in lege naturæ in aliqua familia, vel gente, vñm alicuius sacramenti proprie dicti, præter illud, quod commune erat omnibus in remedium originalis peccati. Hanc assertionem constituo primo propter oblationem Melchisedech, in pane & vino, quæ non solum habuit rationem sacrificij, & sacra oblatio erat, sed etiã res oblata habuit rationem sacramenti vt in 1. tom. huius 3. part. circa quæstionem 22. D. Tho. dixi, & indicat hic D. Thom. ad 3. Aug. epist. 95. ad Innoc. vbi panem illum vocat Sacramentum mensæ Dominicæ, & idem sentit Ambrosio. lib. 4. de sacram. c. vltim. & Clemens Alexand. lib. 4. Stromatum in fine dicens, Melchisedech dedisse in nutrimentum panem & vinum sanctificatum in typum Eucharistiæ: credibile ergo est, illud fuisse proprium sacramentum datum Melchisedech speciali instinctu & reuelatione diuina, vt ritu solemnium & publico celebraretur. Quod fortasse interdum alijs nationibus accidit, nos vero de nullo alio id possumus affirmare, quia nec in scriptura, vel Patribus habemus fundamentum, nec erat id commune ac regulare in illo statu. Possumus vero à simili hoc confirmare, quia etiam determinatio sacrificiorum facta à Deo non erat communis & frequens in illa lege, & tamen interdum Deus ab aliquibus determinata postulatuit sacrificia, vt de sacrificio Abraham constat Gen. 22. & de amicis Iob, cap. vlt. libr.

Iob. Et interdum fieri poterat hec determinatio, nō quidem per expressam revelationem, sed per singularem intuitum Dei, sicut credi potest de Abraham, quando decimas obtulit Melchisedech Genes. 14. & de Jacob, quando votum fecit dandi decimas Deo Gen. 28. vt author est Hugo Victor. libr. 1. de sacram. p. 12. c. 3. & 4. & D. Tho. 2. 2. q. 87. art. 1. ad 3. Igitur eodem modo poterunt eo tempore aliquibus dari propria sacramenta ex singulari Dei beneficio. Ratio vero solum est, quia licet huiusmodi sacramenta nō essent necessaria in illa lege, tamen poterant esse vtilia, & quod aliqua interdum fuerint, potuit esse cōueniens ad Christi honorem & ad prædicanda seu præfiguranda aliqua mysteria, quæ in lege gratiæ cōsummanda, atque perficienda erant. Et ex his facilis est responsio ad fundamenta primæ opinionis. Ad rationes enim omnes respondetur solum probare, in illo statu fuisse aliqua sacrificia, vel ceremonias externas, quæ late possunt sacramenta vocari. Probant etiam, potuisse sacramenta habere vtilitatem in illo statu, & ideo, si aliquibus data sunt, conuenienter atque vtiliter dari potuisse, non tamen probat fuisse pro eo tempore necessaria, neq; debita hominibus regulariter, iuxta illius temporis statum ac viuendi rationem. Ad Doctores vero antiquos, qui de sacramentis illius temporis loquuntur, partim responsum est, sacramentorum nomine, sacrificia comprehendere, & alios externos ritus diuini cultus, quæ euidenter constat ex Hugone & aliis: partim etiam dici potest, loqui generaliter de sacramentis, quia aliquod sacramentum commune fuit omnibus fidelibus in eo statu & præter illud fuerunt alia non ita communia, sed ex singulari Dei beneficio aliquibus collata, vt dictum est.

DISPUTATIO V.

De institutione & necessitate Circumcisionis & aliorum sacramentorum veteris legis.



In hac disputatione agendum est de reliquo tempore ab Abraham, vsque ad Christum: & ideo non proposui in titulo de sacramentis in lege veteri institutis, vt circumcissionem comprehendere, quia in lege veteri instituta non est, sed in Abraham initium habuit, mansit tamen in lege, & inter ceremonias legis veteris cōputatur, quia per illam cepit congregari specialis Dei populus, & ad specialem legem eius suscipiendam præparari: & postea fuit quasi proprius character illius populi & profectio, per quam aliquis illi legi se obligabat ac subijciebat, iuxta illud Pauli ad Gala. 5. Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. Seruabimus ergo in hac disputatione methodum, quam in præcedenti tenuimus, vt prius de circumcissione, postea de reliquis sacramentis illius legis differamus.

SECTIO I.

Vtrum Circumcisio fuerit verum sacramentum in remedium originis peccati institutum pro filijs Abrahæ.

Questionem hanc valde difficilem reddunt varia dicta & sententiæ antiquorum Patrum, quia omnes fere, qui Augustinum præcesere, longe aliter de circumcissionis institutione, quam Augustinus, & qui eum secuti sunt, sensisse videntur. Conueniunt quidem omnes circumcissionem fuisse verum sacramentum, quia id satis aperte docet Paul. in epistola ad Romanos, vt postea dicemus, differunt tamen, tum in tradenda ratione institutionis eius, tum etiam in primaria illius significatione declaranda.

Prima ergo sententia fuit, primariam rationem tradendi circumcissionem tantum fuisse ad consignandum peculiarem Dei populum, eumq; à cæteris gentibus distinguendum: non vero in remedium,

originalis peccati, vnde fit circumcissionem quidem fuisse ceremoniam ad aliquam sanctificationem illorum hominum institutam, quia per eam dedicabantur homines specialiter ad cultum Dei, quæ merito dici potest quedam sanctificatio: non tamen fuisse institutam ad internam sanctificationem conferendam: vnde fit, non significasse gratiam, quæ in illa daretur: significauit tamen ex diuina institutione baptismum & circumcissionem spirituales per Christum conferendam, & hinc censetur habuisse perfectam rationem sacramenti. Hanc sententiam primo docere videtur ex Gracis Patribus Iustinus Martyr, dialog. contra Triphon. aliquantulum à principio dicens, Circumcissionem accepit Abraham significationis gratia, non iustitiæ, idque & sacre scripturæ & res ipsæ nos cogunt confiteri. Secundo Irenæus libr. 4. contra hæres. c. 30. Circumcissionem non quasi consummationem iustitiæ: sed in signum dedit Deus, vt cognoscibile persecueret genus Abrahæ, quod ex ipsa scriptura discimus, & deinde adducit verba Genes. 17. Circumcidetur omne masculinum vestrum, & circumcideris carnem præputij vestri, & erit signum testamenti inter me & vos. Quæ verba confert cum illis, quæ habentur Exod. 21. Sabbatha mea obseruabitis, eritque signum vobis apud me in generationes vestras, & illa Ezech. 20. Sabbatha mea dedi eis, vt sint in signum inter me & ipsos. Ex quibus exemplis colligere vult, solum fuisse ceremoniam quandam ad congregandum populum Dei, & distinguendum eum ab aliis. Postea vero de significatione subdit, In signo ergo data sunt hæc: non autem sine simbolo erant signa, id est, sine argumento, neq; otiosa, tanquam quæ à sapiente artifice darentur, sed secundum carnem circumcisio, circumcissionem præfigurabat spiritualem: etenim nos (ait Apostolus ad Coloss. 2.) circumcisi sumus circumcissionem non manu facta. Tertio, Chrysostomus hom. 27. in Gen. Voluit circumcissionem lege sanciri, non quod ad salutem animi hæc proficere aliquid posset, sed vt hoc gratitudinis indicium, quasi signum & sigillum circumferrent Iudæorum pueri, & ne eis liceret contaminari gentium commitionibus: propter quod Paulus ad Rom. 4. circumcissionem vocat signum, nam ad iustitiam nihil ipsa conducit, idem homil. 39. in fine: expressius 40. in fine, vbi dicit. Nulla alia ex circumcissione fuit vtilitas, quam hæc sola, quod ex hoc signo essent cognoscibiles, & ab alijs Gentibus sequestrarentur Iudæi: nostra autem circumcisio baptismatis (inquam) gratiæ medicinam habet. Quarto, Cyrillus lib. 1. in Ioannem, cap. 21. Lex, circumcissionem introducit carnis, quæ nihil est, vt Paulus ait, Dñs aut circumcissionis spiritus. & li. 11. contra Iulianum ad finem, de circumcissionis ratione & institutione disputans, nullam mentionem facit remedij peccati, neque aliam significationem, quam circumcissionem cordis in spiritu, Et absurdum, inquit concupiscentiarum & voluptatum abiectionem significat, quam per Spiritum sanctum in nobis omnibus Christus operatur. Quinto Eusebius eodem modo explicat circumcissionis institutionem li. 1. de præp. Euangel. c. 10. & lib. 1. histor. c. 1. vbi circumcissionem comparat, & æqualem facit alijs ceremonijs legalibus, & solum illi tribuit esse figuram & signum futuræ gratiæ. Sexto, eodem modo loquitur Epiphanius hæres. 8. post medium, & clarius hæres. 30. non longe à fine. Septimo, Origenes homil. 3. in Genes. late & Theodoretus q. 67. in Genes. vbi dicit circumcissionem nihil dedisse Abraham, neque Ismaeli: & hinc sumit argumentum probabile, nam Ægyptij, & alij populi, qui circumcidebantur, dicuntur impij in sacra scriptura, signum ergo est, non fuisse iustificatos in circumcissione. Vnde concludit, non ergo circumcisio iustos facit. Octauo eodem modo loquitur Damascenus libr. 4. cap. 26. Non, indicat etiam Athanasius oratione in illud, Omnia tradita sunt mihi à Patre

cramentum, non tamen in remedio originali,

Probat ex Patribus Gracis. Iustino. Irenæus.

Chryso.

Rom. 4.

Cyrillus.

Eusebius.

Epiphanius. Origenes. Theodoros.

Damascenus. Athanasius.

Hugo.

Ad arg. 1. opin. respon.

Circumcisio legis veteris & veteris legis fuit.

Prima sententia dicit fuisse quidem...

D V

Oecum.
Theoph.
Ex Patribus
Latinis.
Cyprian.

Ambros.

Hieron.

Ansel.
Tertull.

Istidor.

Lyr.

Ex ipsi
brau.
Philo:

Patre meo, non longe à fine, dicens circumfisionem tantum fuisse notam, baptismum autem regenerationem continere. Denique idem docent Oecum. ad Rom. 2. & 3. & Theoph. ad Rom. 4.

Secundo principaliter ex Latinis Patribus, Cypri. li. 1. ad Quir. c. 8. hoc sensu vocat illam primam circumfisionem carnalem, quæ euacuata est, per quam secunda spiritualis circumficio promissa est, ac figurata: & probat illam non dedisse spirituales circumfisionem: tum quod priores Patres sancti in circumfisionem fuerint, tum etiam, quia illud signaculum feminis non proficiebat. idem epist. 59. Secundo, Ambrosius epist. 72. eodem modo sentit de circumfisione, nullumq; discrimen inter eam, & alias ceremonias legales agnoscit, illamq; circumfisionem carnalem vocat: quam in hoc à spirituali distinguit, quod illa corpus hæc vero peccatum amputet. & libr. 1. de Abraham, c. 4. dicit, circumfisionem tantum fuisse signum. & super ad Rom. 4. negat aliquid iustitiæ Abraham contulisse. Tertio eodem modo sentit Hieronymus. lib. 1. in epist. ad Galat. circa illa verba. cap. 3. Cognoscitis ergo, quia, qui ex fide sunt, hi filij sunt Abraham (inquit) Circumfisionem, non ob meritum operum, sed in signum fidei prioris accepit: quia. n. ex femine eius erat Christus oriundus (in quo vniuersarum gentium fuerat benedictio re promissa, & ab Abraham vsq; ad Christum multa erant tempora transitura) prouidens Deus, ne soboles dilecti Abraham cæteris nationibus misceretur, & paulatim familia eius fieret incerta, gregem Israeliticum quodam circumfisionis cauterio denotauit, & libr. 2. in fin. circa illa verba. c. 5. Neq; circumficio aliquid valet, quamuis exponat, hoc intelligendum esse post Christum Iesum, nam antea aliquo modo utilis fuit, dicit tamē. Id vtilē Iudæis fuisse, quia illis credita sunt eloquia Dei, q̄ in opera vertentes, à salute extranei non fuerūt. & infra dicit. Etiam valuisse ad obtinendas benedictiones carnales, quæ legem seruantiū spondebantur. De vtilitate vero circumfisionis ad tollendum originale peccatum, ne verbum quidem. & in id ad Rom. 4. Signum accepit circumfisionis, inquit. Ne dicerent, ergo superflue circumfiscus est Abraham, signū dicit esse iustitiæ, non augmentum, quæ verba fere tranfcripsit Ansel. eodem loco. Quarto, Tertull. li. contra Iudæos, c. 3. de Abraham inquit, Accepit circumfisionem, sed quæ esset in signum temporis illius, non in prerogatiuam, & infra dicit, Datam esse in signum populo Israel, vt dignosceretur, nō in salutē. & c. seq. late probat, circumfisionem non esse datam ad purgationē, seu iustitiā. Quinto, Author libri de altercatio. Eccl. & synagoga, qui est in 6. tomo aperum Augustini late probat, circumfisionem non esse datam illi populo, vt ad eternitatē per illam proficeret: & potissimum vtitur illo argumento, qd remedia ad salutem sunt communia viris & foeminis. Sexto Istidorus lib. in Gen. ca. 13. reddens causam circumfisionis, inquit, Jam tunc propter peregrinationem futuram ne commiseretur semen eius inter gentes, datur ei circumficio in signū his verbis, Circumcidetur in vobis omne masculinū. & infra, Sed quid aliud circumficio significat, nisi renouatam naturam per baptismum, post expoliationem veteris hominis: atq; eodem modo scribunt de circumfisc. Gloss. & Lyr. Gen. 17. & 20.

Tertio & principaliter ex Hebræis Philo. libr. de circumfisione, tom. 2. reddens varias causas & rationes, propter quas instituta est circumficio, nullam mentionē facit originalis peccati: si autem circumficio in remedium peccati esset instituta, hæc fuisset potissima causa institutionis eius: atq; inter Iudæos celebrior ac notior esse debuisset: ad eandem rem citat solet Iosephus, lib. 1. antiquitat. ibi tamen. c. 18 commemorans circumfisionis præceptum promittit se alio loco causas circumfisionis explicaturum, quod nullibi inpleuisse reperio.

Quarto principaliter fundatur hæc sententia in loco Gen. 17. vbi circumfisionis institutio refertur, & nulla facta mentione iustitiæ, vel remissionis peccati, solum dicitur, Vt sit in signum foederis inter me & vos, & infra, Erigēt pactum meum in carne vestra in foedus æternum. Ex quibus verbis colligitur datam esse circumfisionem ad signandum populū, quem Deus peculiariter eligebat, quoniam in illo Christus erat nasciturus, vt illius singulariter haberet prouidentiam, & ab eo specialiter coleretur: hoc n. erat pactum & foedus inter Deum & illum populū, cuius signum erat circumficio.

Quinto videtur hæc sententia colligi ex aliquibus Pauli locis, vbi dicit, Circumfisionem nihil valere, vt ad Gal. 5. & 6. aut nihil esse, vt 1. ad Cor. 7. sed hæc loca non vrgent, quia sermo in illis est de circumfisione post Christi aduentum, & ideo dicitur, In Christo Iesu, neque circumficio aliquid valet. Locus autē ad Ro. 3. videtur magnam vim habere: nam cum interrogasset Paul. Quæ vtilitas circumfisionis? responderet, multum per omnem modum. Explicans autem hanc magnam vtilitatem, nullam aliam asserit, nisi quia credita sunt illis eloquia Dei. Vbi Theod. dicit potuisse Paul. multa enarrare beneficia, quibus Deus Iudæos prægenitib. affectit. Elegit. n. eorum maiores ab Egyptiorum potentia liberauit: vt clara esset eorum fama & in ore omnium versaretur, perennis generis miracula effecit: legem ad auxilium dedit, Prophetas eis constituit, his autē omnib. silentio prætermisiss, solam legislationem posuit, quia maximū hic honos est. Ergo, teste Paul. solum est data circumficio, vt ille populus separatus à reliquis specialem Dei legē acciperet & promissiones de prophetis de Christo, de remissionē autē peccati nullam mentionem facit. Quin potius paulo inferius dicit. Ex operibus legis neminem iustificari, sub quibus circumfisionem hinc dubio comprehendit, & ideo ad Colof. 2. illam vocat, Circumfisionem manu factam in explicitiohē corporis carnis, eamq; à spirituali circumfisione omnino distinguit: & ad Phil. 3. vocat circumfisionē, fiduciam in carne, quia non erat signum spiritualis regenerationis, sed tantum generationis carnalis ex Abraham, in qua multum Iudæi confidunt.

Sexto adduci possunt congruentia, vel coniecturae, quas Patres citati indicant. Prima & frequens est, quia remedium peccati commune est masculis & foeminis. Secunda in Cyp. quia remedium peccati non præciperetur differri vsq; ad octauum diem. Tertia ex Hiero. & Theod. quia populus in deserto non est circumfiscus per 40. annos, remedium autē peccati non esset tanto tempore dilatum. At vero, quia circumficio solum erat ad segregandū illum populū ab aliis, & eo tempore quo erat in deserto, erat satis separatus à gentibus, ideo tunc nō indiguit circumfisione: postquam vero cepit commisceri populus gentium, omnes fuerunt circumfisci, quamuis sine dubio iam multis esset originale peccatū remissum. Quarta, quia priores Patres sine circumfisione fuerunt iustificati, media autem ad iustitiam acquirendam necessaria, eadem semper fuerunt ante Christi aduentum.

Secunda sententia est, circumfisionem institutam fuisse, & datam populo Israelitico in remedium originalis peccati, ita vt remediū legis naturæ, qd de se indifferens erat quoad externā ceremoniam, determinatum fuerit ad ritum circumfisionis, pro filijs & posteris Abraham. Hæc sententiam ex patrib. qui Aug. præcesserunt, indicauit tantum Athanas. in oratione nuper citata, his verbis. Reb. autē ita constitutis, videtur circumficio data esse, vt auferretur vituperium terreni stēmatibus ab Abrahamitis, quo in postero nō sumus obnoxij huic maledictō, Terra es. & in terrā ibis: ablatum est. n. opprobrium delicti, id autē tūc factum est ad figuram huius baptismatis, qd in Christo perficitur: tunc. n. ex parte fiebat, vt pote ad vmbra-

Ex loco Gen. 17.

Ex locis Pauli.

Theodor.

Congruentia
obseruationibus

Sententia
circumfisionis
nem in rem
dium peccati
fuisse dicitur

Athanas.

bram, nunc aut, sicuti Apostolus ait, terrenam originē eruentes, per lauacrum baptismi regeneramur. Sed re vera Athanasius, si recte perpendatur, solū dicit, circumcisiōne fuisse figuram baptismi, & repræsentationē quamdam regenerationis per illum perficiendæ. Apertius hanc sententiam docuit Cyp. (si ipse est author operis de Cardinalibus Christi operib.) c. de circumc. Christi, vbi sic inquit. Hoc cū octaua die in sum sit celebrari, & nomen circumciso aptari, in timatū est his, quid digni sanctorū confortio censebatur, & eorū nomina scriberentur in caelis, & æternæ beatitudinis heredes fierent, & confortes. & infra cū dixisset, originale peccatū omni tempore aliquibus remedijs esse expiatū, subiungit. Propter hoc cū iam fidei tēpora appropinquarent, imperata est circumcisiō. Amb. et epist. 84. ad medium, vbi ex institutione circumcisiōnis, veritatē peccati originalis demonstrat, & eandem vim exitimat habere illa verba Gen. 17. Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, debeturi anima eius de populo suo. & illa Ioa. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnū cælorum. Verū illa epistola, non censeatur esse Ambrosij, sed Prosperij. Primus itaq; ac præcipuus & indubitatus author huius sententiæ fuit Aug. qui 3. li. contra Iulian. c. 18. sic inquit. Responde, si potes, cur ipse Isaac, mihi baptisimatis Christi signo circumcisi octauo die fuisset, petisset anima eius de populo suo? Explica, si potes, cur merito tanta pena pleteretur, mihi ab hac, tanto sacramento liberaretur? Idem repetit li. 5. c. 9. li. 2. de gratia Christi & pecc. orig. c. 30. & 32. & li. 2. de nuptijs, c. 11. & 12. & lib. 4. de bapt. c. 24. vbi dicit, Ex circumcisiōne carnis, q̄ prior populus accepit, conijcere nos posse, quid valeat in paruulis baptismi sacramentum. vbi adducit et argumentum ex 4. Exod. vbi filius Moyfis per circumcisiōnem mortis periculo ereptus est, & li. 2. contra lit. Petilian. c. 72. Antiquus populus circumcisiōne, pro baptismō utebatur. idem docet 15. de Ciuita. Dei, c. 16. & li. 16. c. 27. & li. de pœnit. & medic. ca. 5. & lib. 5. hypogn. à medio. Circūcisiō (inquit) illa octaua diei gratiam baptismi gestabat, & paruulus, qui ea fraudatus est, delicto, quod ex Adam traxit, nō caruit. & tract. 20. in Ioan. dicit, ideo circumcisiōnem solitam esse dari etiam in sabbatho: quia sanctificationem asserbat, à quo non erat in sabbatho vacandū. Vnde Christus Ioan. 7. dicebat, In Sabbatho circumcidiis hominem, & mihi indignamini, quia totum hominem saluum feci in sabbatho.

Cyprian.

Greg.

Beda.

Bonar.

Rupere.

Hugo.

Franc. Suarez Tom. 3.

Quarto, fundari potest hæc sententia in decreto Innoc. 3. in c. Maiores, de baptismi. vbi primum dicit baptismi successisse circumcisiōni. Deinde comparat illa verba: Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit: cum illis. Nisi quis renatus, &c. Deinde concludit plus conferre nunc baptismum, quam olim circumcisiōnem, Quoniam et si originalis culpa remittebatur per circumcisiōnis mysterium & damnationis periculum vitabatur, non tamen perueniebatur ad regnū cælorum, quod vsq; ad mortem Christi fuit omnib. oblatum: sed per sacramentum baptismi culpa remittitur, & ad regnū cælorum peruenitur. vbi, quamuis Pontifex non intendat hanc veritatem delinire: tamen cum hac sententia vtatur, vt ostendat paruulos in lege noua esse baptizandos, sicut in veteri circumcidebantur, magnam certe huic sententiæ præbet autoritatem.

Quinto, fundamentū præcipuum, quo motus est Aug. ad hanc sententiam asruendam nititur verbis illis Gen. 17. Masculus, cuius præputij caro circumcisa nō fuerit, debeturi anima illius de populo suo. Ad cuius testimonij vim intelligendam, tria expendenda sunt. Primum ad quos referantur illa verba, seu in quos cadat illa cōminatio. Secundū, Quæ sit pena, q̄ Deus ibi cōminat. Tertiū, Quod sit illud pactum, quæue illius transgressio, propter quā illa pena iniungitur. Circa primum multi exponūt, verba illa intelligenda esse de adultis & ratione vrentibus, qui vel propriam circumcisiōnem cōtemnerent, vt Caic. in Gen. exponit. & indicat Iustinus, & nonnulli ex alijs Patribus: vel qui filiorum suorum circumcisiōnem negligerent, vt exponit Diodorus ad Lypoman. in catena super Gen. Quæ expositio probabilior apparebit si verba illa, non pasciue, sed actiue legantur, hoc modo. Masculus, qui non circumciderit carnē præputij sui, vt Ambr. & nonnulli alij legunt. Græca. n. & Hebraica lectio hanc versionem admittit: & Chaldaica paraphrasis eodem modo habet: iuxta hæc aut lectiōnem, de solis adultis pot proprie esse sermo, quia paruuli non poterant se circumcidere, nec phyfice, nec moraliter: adulti aut, quia voluntarie poterant, vel negligere, vel admittere & procurare circumcisiōnem: adeo dicuntur habuisse præceptum, vt se circumcidant, licet non essent proprijs manibus circumcisiōnem effecturi: parentes et proprijsime dicuntur fuisse obligati ad suos filios circumcidendos. In vtroq; ergo, & in eos tatum optime cadit illa cōminatio. Et iuxta hunc sensum facile intelligitur, propter quam causam cōminaretur Deus illam penam, scil. propter culpam, quam hi cōmittēbant, negligendo circumcisiōnem, vel propriam, vel filiorum. Quod viderit consentaneum illis verbis: quia pactum meum irritū fecit. Illud. n. pactum (nisi aperta æquiuocationem in breui textu admittamus) non est aliud, nisi illud, q̄ sepius in præcedentibus verbis repetitur, Statuā pactum meum inter me & te & semen tuum. Tu ergo custodias pactū meum & semen tuum post te: hoc est pactū meū, q̄ obseruabitis, inter me & vos & semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum, &c. illud ergo pactū, nullum aliud erat, q̄ lex circumcisiōnis: conflat. n. sepe in scriptura legem diuinā nomine pacti & fœderis significari: quia habet adiunctam promissionem & cōminationem: imponebatur ergo illa pena propter transgressiōnem huius legis, q̄ non poterat paruuli, sed soli adulti committere. Et iuxta hæc non est difficile exponere, quæ fuerit illa pena: erat. n. vel mors corporalis, aut quædam excommunicatio, seu separatio à populo Dei, vt rumq; enim significare solent illa verba. Delebitur anima eius de populo suo, iuxta phrasin Hebraicam, non. n. significare solent penam alterius vitæ, sed præsentis, & interdum penam mortis, vt Exod. 12. Quicumq; comederit fermentatū, peribit anima illius de Isracl. i. occiderit: similiter c. 30. & 31. Leuit.

Præcipuum fundamentum. August.

Caic. Iustin. Diodor.

Ambros. Locus Gen. 17. expositus.

Lex diuina & pactū & fœdus in sacra litteris appellatur.



17. 18. & 19. & ita intelligunt presentem locum Gen. Lyra & Caiet. ibi dicunt enim patrem fuisse morte plectendum, si filium nollet circumcidere: & ipsum etiam filium, si post usum rationis voluntarie maneret incircumcitus. Interdum vero significatur illis verbis excōicatio & separatio à populo Dei, vt Num. 19. Qui tetigerit humanæ animæ morticinum, & aspersus hac cōmitione non fuerit, peribit ex Israel. & infra, Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ. quāquam hæc verba ab alijs intelligantur de morte corporis. In dicto ergo loco Gen. Delebitur de populo suo, id est, nō memorabitur, necerit membrum populi Dei, necq; erit particeps sacramentorū, beneficiorū & promissio nū illius populi. Iuxta q̄ expositionem hic locus nihil omnino confert ad sententiam Augustini fundandam. quia ex illis verbis sic expositis non potest colligi, circumcisionem fuisse medium necessariū paruulis ad salutem, quia non sequitur paruulos incircumcisos fuisse damnatos, sed solum sequitur eam circumcisionem fuisse in præcepto, cuius transgressores puniri præcipiebantur. At vero Aug. longe aliter intelligit tria illa, quæ explicanda proposuimus. Primo enim existimat, comminationem illam non tantum ad adultos, sed etiā ad paruulos dirigi. Cui in primis fauet editio 70. Interpretum, qui addunt particulā illam. Octauo die, hunc in modū, Masculus, cuius præputij caro octauo die circumcisa non fuerit, &c. quæ lectio retenta est in noua editione Septuaginta interpretum, iussu Sixti V. facta. & eadem vsus est Aug. in citatis locis, & Ambr. epist. 77. & Orig. lib. 2. in ad Rom. circa fin. c. 3. Quare non videtur facile reiicienda, eo quod in Hebræa & vulgata Latina non habeatur. quia illis non repugnat, sed potius ea explicat. Vnde potest sumi indicium, antiquam Iudæorum Synagogam, ita hunc locum intellexisse & Septuaginta interpretes, ad explicandum amplius sensum suo tempore & in sua Ecclesia receptum; illam particulam addidisse. Qua posita, non potest illa comminatio ad solos adultos referri: cum etiam masculus post octauum diem incircumcitus periturus dicatur. Præterea, seclusa etiā illa particula, verba scripturæ indefinita sunt, & æquivalent vniuersali loquutioni: non ergo possunt libere ad solos adultos coarctari, alioqui, etiam illa verba Christi, Nisi quis renatus fuerit, &c. possent similibus modo limitari. quia est idem genus indefinitæ seu vniuersalis loquutionis, & in vtraque passiuè dicitur; Cuius caro circumcisa non fuerit, & Nisi quis renatus fuerit: ergo sicut hæc non limitantur ad eos, qui a ctiue (vt sic dicam) transgrediuntur præceptum baptismi, sed simpliciter intelliguntur de omnibus, qui baptismū non recipiunt nec re, nec voto, cuiuscumque ætatis sint, ita nec alia verba limitanda sunt, sed eodem modo intelligenda. Præterea, huic expositioni fauet contextus Genes. nam proxime dictum erat. Infans octo dierum circumciderit in vobis, eritq; pactum meum in carne vestra, in fœdus sempiternū, ista ita vero subditur, Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, &c. ergo, nisi sit magna æquiuocatio in verbis, idem masculus periturus dicitur, si non circumcidatur, qui præceptus erat circumcidi: hic autē erat infans octo dierum: ergo de illo, & non tantum de adulto, sermo est in prædictis verbis. Ex quo vterius intelligit Augustinus per illa verba; Delebitur anima eius de populo suo, significari, non tantum pœnam aliquam huius vitæ, sed separationē à Deo, & à cætu sanctorum, per carentiam diuinæ gratiæ & æternæ beatitudinis: quia paruulus, qui post octauum diem sine circumcitione moreretur, hanc pœnam incurreret, etiam si in hac vita nulla alia afficeretur. Neq; est hic sensus ab illo genere loquutionis alienus: nam in veteri testamento, cum iusti moriuntur dicuntur apponi ad populum suum, Gen. 25. 35. & 49. id est, ad cætum sanctorum: ergo recte dicitur

Aug. aliter
hunc locum
Gt. explicat

periturus à populo suo; qui non erat ad sanctorum cætum aggregandus. Confirmatur, quia vt notat Burgenf. Genes. 17. & Glos. ord. numquam Hebræi intellexerunt, ibi esse impostam pœnam mortis, aut paruulis incircumcitis, aut adultis transgressoribus illius præcepti: vnde nunquam illud delictum tali pœna punitum fuit in populo Israel, vt ijdem referunt: non ergo recte intelliguntur illa verba de pœna mortis: neque etiam de legali separatione, seu excommunicatione: nam illud præceptum datum fuit multo ante legem scripta, quæ introductæ ceremonias, irregularitates & legales separationes, quæque per terrores & minas pœnarum cœpit homines inducere ad sui obseruationem: igitur nec pœna mortis nec separationis legalis apte quadrat huic præcepto. Ac denique, licet admittamus, hominem incircumciturum, etiam in hac vita separandum fuisse ab illo populo, & abscindendum tamquam membrum carens propria nota & signo illius populi, tamen hoc nihil obstat, quominus etiam pœna alterius vitæ in illis verbis indicetur: & per hanc separationem repræsentetur: sicut etiam nunc homo non baptizatus & ab Ecclesia est separatus in hac vita, & propterea separabitur à consortio iutorum in futura. Tandem colligit Augustinus causam huius pœnæ propriam, & adæquatam non fuisse actuale peccatum in transgressione præcepti circumcitionis commissum, sed peccatum originale ex Adami transgressione contractum, paruulus enim non habet aliud peccatum, & ideo verba illa, Qui pactum meum irritum fecit, non censent Augustinus Ili dor. & Bed. esse intelligēda de pacto circumcitionis: quia non potuit paruulus octo dierum præceptum illud transgredi, sed de pacto inito cum Adamo, quod paruulus in ipso irritum fecit, sicut in Adam peccauit. Quæ expositio, quoad hæc vltimam partem duriuscula videri potest, propter rationem supra factam, quod videlicet in toto illo capite per pactum intelligitur circumcizio, & ideo retinendo eundem sensum, & amplius illum explicando, dici posset immediate & in sensu maxime literali sermōnem esse de pacto circumcitionis: hoc tamen dici irritum fieri à paruulo incircumciso, non actiue per transgressionem præcepti culpabilem, sed passiuè, quia in eo nō est obseruatum, seu executioni mandatum pactum diuinum, quod ea ratione irritum in eo factum est. Fortasse vero sub hoc sensu voluit etiam Spiritus sanctus indicare culpam existentem in paruulo, ex transgressione prioris pacti, quam humana natura in Adamo commisit, vt Augustinus dixit. Et ita in illis verbis immediate significatur ratio incurrendi illam pœnam, quæ est carentia remedij per quod tollenda esset culpa, quæ est causa illius pœnæ: quæ etiam culpa mystice, seu in sensu magis recondito indicatur, & ita coincidit hæc expositio cum intentione Augustini, eamque significauit Eucher. li. 2. in Genes. capit. 24. Atque ex tota hac expositione recte concluditur, circumcitionem fuisse institutam in remedium necessarium paruulis, vt liberarentur ab originali peccato, quando quidem ex carentia illius sequebatur damnatio infantis: sicut ex illis verbis, Nisi quis renatus fuerit, colligimus, baptismum esse medium necessarium ad tollendum originale peccatum, vt inferius suo loco dicemus. Vnde in hoc proprie videtur circumcizio fuisse figura baptismi: sicut Paulus eam vocat ad Colossens. 2. & sepe alias.

Sexto possumus afferre coniecturas, seu congruentias. Prima & præcipua sit: quia licet verum sit, quod prima sententia asseuerat, circumcitionem in fuitutam esse ad consignandum Dei populum, & illum à cæteris distinguendum, tamen cum hoc sine non repugnat, quod simul etiam sit instituta in remedium originalis peccati: nec priores Patres, qui priorem causam assignant, licet posteriorem taceant, il-

Burgenf.

Augst.
Isidor.
Beda

Eucherius

Circumcizio
figura baptismi

ant. illam excludunt: nec hæ sunt ex se repugnantes: quin potius optime inter se conveniunt, vt qui consecratur Deo, & nouum pactum & fœdus cum eo i- nit, seruandi legem eius & colendi eum, cuiq; Deus promittit suam peculiarem prouidentiam, ac pater nam benedictionem, iam non maneat inimic⁹ Dei, sed sanctus & iustus: sicut nunc in baptismo vtrumque simul fit, nam per illum consignantur fideles caractere Christi, & fiunt propria membra Ecclesie, & mundatur etiam ab originali peccato. Ex qua analogia etiam confirmatur hæc sententia, quia, vt diximus, circumcisio fuit quædam figura baptismi: propter quod baptismus dicitur spiritualis circumcisio, quia consignat homines, non in corpore, sed in anima per characterem spirituales, & circumcidit non corpore, sed corde: circumcisio autem appellatur carnalis, nõ quia nullum spirituale bonum in ea daretur, sed quia carnali, ac visibili caractere consignabat homines. Confirmatur hæc coniectura, quia nisi in illo sacramento tollendum esset originale peccatum, nulla esset sufficiens causa, ob qua infantibus dari præciperetur: nam ad alium finem sufficere dari in adulta ætate & videri posset conuenientior, tum ad meritum per illum actum obedientie & doloris: tum etiam ad intelligendam significationem illius mysterij: sicut nunc etiam baptismus non daretur paruulis, nisi esset remedium originale peccati. Tandem hæc sacramentalis significatio optime quadrat cum ritu circumcisionis: nam, quia peccatum originale per seminalem generationem communicatur, & vires suas in concupiscentia carnis potissimum exferit: cui malo sola diuina gratia potens est subuenire, ideo per circumcisionem carnis apte significatur effectus, qui fit in anima, cum ab illa tollitur originale peccatum.

Sententia auctoris Synonymum concordia.

Vtraque istarum sententiarum tanto auctoritate pondere & tam probabilibus nititur fundamentis, vt nostri muneris esse videatur, neutram, si fieri potest, rejicere, sed vtrique aliquid concedere, eaque in concordiam redigere. Vnde dicimus primos. Primariam rationem instituendi circumcisionem non fuisse remissionem originalis peccati, neque ad hoc habuisse maiorem aliquant vim, quam habuerit sacramentum legis nature. Hanc conclusionem probant omnia, quæ pro prima opinione adducta sunt. Neque negari potest, quin primarius finis circumcisionis fuerit, congregatio populi Dei, & segregatio eius à cæteris populis, per specialem magisque expressam professionem fidei veri Dei, & Christi venturi, quæ fides eo tempore valde imperfecta iam erat, vt notarunt Hugo Victor. libro 1. de sacrament. parte 11. cap. 6. & Alexan. Alenf. 4. part. q. 7. memb. 2. & Diuus Thomas hic & eleganter in 1. 2. q. 102. art. 3. ad primum, vbi ait. literalem principalemque rationem instituendi circumcisionem fuisse ad protestationem fidei vnus Dei: figuralem vero ad significandam oblationem corruptionis per Christum faciendam. Rursus, quod circumcisio nihil habuerit speciale ad delendum originale peccatum, præter id, quod commune erat in lege nature: inter alia, quæ adducta sunt pro prima sententia, probat optime illa coniectura, quia si aliquid amplius daretur paruulis in lege veteri, quam in lege nature, non debuissent ab illo beneficio femine excludi: cur enim, cum diuina gratia, & præsertim ea, quæ est in remedium peccati, de se æque omnibus communicetur? Illud etiam signum non est contemnendum, quod tanto tempore sit circumcisio in deserto prætermissa.

In circumcisio non plus datur, quam in remedia legis nature.

Secundo, dicendum est, circumcisionem fuisse remedium, in quo peccatum originale paruulis remittebatur: quod quidem etiam ex diuina institutione habuit, secundario tamen & quasi consequenter. Prior pars sufficienter probatur ex his, quæ adducta sunt in posteriori sententia. Hæc videtur non posse Franc. Suarez Tom. 3.

In circumcisio originalis peccati remittebatur.

nunc negari, sine aliqua temeritate, propter communem consensum tantorum Patrum & Scholasticorum omnium, & maxime Innocent. 3. Modus autem huius institutionis & tota conclusio ita potest à nobis intelligi & exponi: quia, vt vidimus, ante institutionem circumcisionem in lege nature erat lex & promissio Dei de remittendo paruulis originali peccato per quodcumque signum externum protestatiuum fidei à parentibus applicatum: circumcisio autem ex vi suæ institutionis habuit, vt esset quoddam signum sacrum fidei protestatiuum, quo paruuli specialiter dedicabantur Deo: ergo ex vi huius institutionis, quamuis nihil aliud addatur, habuit circumcisio, vt posset esse remedium sufficiens, vt tolleretur originale peccatum, saltem si prius non esset ablatum. Quod potest exemplo declarari: nam si esset à Deo lata lex, vt quicumque sibi offerret sacrificium peccatorum remissionem vel alium similem effectum consequeretur, & postea Deus aliquam actionem in sacrificium instrueret: quamuis ex vi huius posterioris institutionis, non haberet tale sacrificium aliquem effectum: nihilominus ex vi prioris institutionis generalis, haberet effectum cuiuscumque vero sacrificio promissum. Ita ergo in præfenti intelligi potest: nam prius erat vniuersalis lex, vt per quamcumque ceremoniam externam posset paruulis subueniri: ergo hoc ipso, quod fuit ceremonia sacra, non tantum pro adultis, sed pro paruulis instituta ad sanctificandos illos aliquo modo, seu cultui diuino dicandos: hoc (inquam) ipso, habuit ex vi prioris generalis legis, vt posset esse remedium sufficiens aduersus originale peccatum, etiam si nihil aliud in eius institutione intelligamus. Quod autem hoc modo & non alio excellentiori fuerit eleuata circumcisio, vt in ea daretur hic effectus, colligi satis videtur ex auctoritate omnium Sanctorum, quos in prior sententia adduxi: imo etiam ex Pauli testimonio, qui nihil tribuit circumcisioni, quatenus talis ceremonia peculiariter instituta fuit, quod ad internam iustitiam & remissionem peccati pertineat. Et eodem sensu dicunt Patres, nullam attulisse spiritualem vtilitatem, quam non habuerint alij sancti in lege nature. Ex quibus probabile sumitur argumentum ad hoc confirmandum, non quia non potuerit Deus instituire in lege veteri aliud remedium, quod maiorem gratiam conferret ex diuina promissione, quam in lege nature, vel perfectiori modo: sed quod nulla sit ratio ad id asserendum, nec sit consentaneum statui illius legis. In hoc enim habebat eandem imperfectionem, quam lex nature: quia non habebat exhibita & præsentia Christi merita, sed solum credebat & sperabat futura: & ideo sacramenta eius de se tam egena erant & infirma, sicut in lege nature: ergo ex conditione illius legis & status, non est, cur in aliquo sacramento eius vberior gratia, vel perfectiori modo collata sit: ergo nec in circumcisioe fuit aliter remissum peccatum, quam in sacramento legis nature: nec per alium effectum, nec per aliud causalitatis genus: & consequenter, nec fuit necessaria quoad hoc illa institutio, præter eam, quæ circumcisio sub ratione ceremonie sacre protestatiue fidei & paruulis applicandæ constituta est. Præterea potest hoc à signo declarari ex probabili opinione Theologorum asserentium: post Christi mortem, quamdiu legalia fuerunt mortua & non mortifera, circumcisionem fuisse vtilem paruulis ad remedium originale peccati, non vt ceremonia legalis, sed vt remedium legis nature: quia nimirum retinuit rationem ceremonie sacre, per quam poterat fides parentum illis applicari. Dices, ergo eodem modo posset dici de baptismo, non esse per se primo institutum, in remedium originale peccati, sed ad protestandam fidem, seu ad consecrandos homines cultui diuino: & consequenter habuisse, vt in illo tolla-

Innocent. 3.

Circumcisio aliquando post Christi mortem quomodo vtilis.

Obiectio.



Responsio.

tollatur originale peccatum. Respondetur negando sequelam: tum, quia hoc sacramentum habet effectus gratiæ longe diuersos & perfectiores, à circumcissione & sacramento legis naturæ, & ideo oportet, vt illos habeat ex vi suæ institutionis. Item habet illos effectus perfectiori modo, vt infra dicemus. Itē ex verbis promissionis & institutionis eius constat, per se primo esse institutum ad regenerandos homines in Christo, iuxta illud: Nisi quis renatus fuerit ex aqua: Regeneratio autem in Christo non fit primario & per se per externam aliquam sanctificationem, sed per spiritualem & internam. Denique status legis gratiæ propter Christi merita præsentia est longe perfectior, & ideo consentaneum illi fuit, vt noua gratiæ promissio, nouisque modus regenerationis in eo fieret.

Dubium.

Rursus vero dicit aliquis: quamuis prædicto modo satis explicatum sit, quomodo circumcisio fuerit sufficiens remedium peccati originalis ex vi institutionis prædicto modo explicatæ: non tamen id satis esse, vt fuerit remedium necessarium paruulis ad salutem: quod tamen Augu. præcipue contendit: & ex loco Genesis, vt à nobis explicatus est in eius doctrina, necessario consequitur, vt ex dictis patet. Antecedens declaratur: nam si circumcisio non habuit, quod in ea deleteretur peccatum originale, nisi ex generali ratione ceremoniæ sacræ, seu protestationis fidei paruulis applicatæ, sequitur, quod si ante circumcissionē parentes alio modo offerrent suos paruulos Deo per quodcumque aliud signum, paruuli consequerentur remissionem originalis peccati: ergo ad hunc effectum, non esset illis necessaria circumcisio: ergo, licet non circumciderentur, non propterea damnarentur. Antecedens patet, quia per hoc solum quod circumcisio instituta est, vt esset ceremonia sacra & protestatio fidei, & c. non est ablatæ potestas faciendi alias ceremonias, seu protestandi fidem alijs signis, sicut antea in lege naturæ fieri poterat, & sicut tunc in eadem lege scripta circa feminas habebat. Vnde confirmatur & explicatur difficultas optimo exemplo: nam ex præcepto legis veteris, foemina recens natæ offendæ erant Deo in templo post octuagesimum diem, Leuit. 12. Et hæc est prima ceremonia sacra, quæ ex necessitate legis scriptæ exercenda tunc erat circa foeminas. Ex qua necessario sequitur, quod, si ante illum diem, nulla alia via, neque alia fidei protestatione, esset illis remissum originale peccatum, in illa oblatione facta in templo sine dubio remitteretur, non propter specialem institutionem, vel promissionem: sed ex generali ratione sacramenti legis naturæ, vt de circumcissione explicatum est. Quo tamen non obstante, necessarium non erat expectare octuagesimum diem, vt foemina iustificarentur, sed quocumque signo protestatio fidei subueniri illis poterat, sicut in lege naturæ: ergo idem dicendum erit de circumcissione, si non habuit specialem institutionem. Ad quam difficultatem posset aliquis totum hoc concedere, quia non videtur esse magnum inconueniens, & quia hoc modo melius saluantur omnia dicta antiquorum Patrum, quæ in priori sententia attulimus. Iuxta quam responsionem consequenter dicendum erit: circumcissionem appellari communiter remedium originalis peccati, quia illa erat, quam regulariter loquendo primo applicabatur, non quia esset simpliciter necessaria. Quod potest confirmari: quia certum est, interdum potuisse remitti originale peccatum infanti Hebræo absque circumcissione per medium legis naturæ, vt si ante octauum diem esset in euidenti mortis periculo: non enim licebat præuenire circumcissionē, nam ex præcepto, diuino definitum erat tempus octauæ diei non sine magna significatione & mysterio. Ac præterea quia si infans ante illum diem existeret in periculo mortis, tunc eum circumcidere, esset illum interficere. Quare g-

tiam si in die octauo, vel post illum non posset dari circumcisio, sine graui incommodo, & periculo mortis, nulla ratione erat applicanda: quia non est verisimile voluisse Deum, vt parentes suos filios interficeret, quod etiam aperte colligitur ex Iosue 5, non enim propter aliā causam videtur in transitu per desertum omiſsa vel dilata circumcisio: nisi, quia cum quotidie iter agerent, non poterant sine graui incommodo circumcidi: & ideo ibidem dicitur, postquam tempore Iosue omnes circumcisi sunt, mansisse in eodem castrorum loco, donec sanarentur. Igitur in his & similibus casib. poterant Iudæi saluari, vel remissionem originalis peccati consequi per aliud remedium: quia non est verisimile, & factos esse deteriores conditionis, quam alios infantes in lege naturæ constitutos: & ita aperte sentit Diuus Tho. infra q. 70. art. 3. & 4. ad 3. ergo non fuit circumcisio instituta, vt medium necessarium ad remittendum originale peccatum: fuit enim valde acerbum, & difficile remedium, & ideo non oportuit, vt esset simpliciter necessarium, sicut nunc est baptismus: ergo quacumque ratione applicaretur aliud remedium legis naturæ, ante circumcissionem, illud sufficeret. Et hæc sententia videtur claritatem quandam & probabilitatem præ se ferre: sed non est iuxta mentem August. & Innoc. 3. nec satis explicat, cur circumcissioni tribuatur effectus, remittendo originale peccatum viris, magis quam oblationi in templo attribuitur remissio originalis peccati in foeminis. Denique si vera est expositio verborum Genes. supra data, quam etiam approbat Innoc. 3. in dicto cap. Maiores: non potest cum illa hæc sententia consistere, quia illa comminatio de paruulis intellecta aperte infert necessitatem aliquam huius remedij.

Propter hanc ergo difficultatem addidi in cōclusionē, circumcissionem fuisse remedium originalis peccati ex peculiari Dei institutione. Itaque quamuis non promiserit Deus specialem aliquam gratiam circumcissioni, neque in eum finem primario illam instituerit, quæ duo hæcenus docuimus, voluit tamen, vt remedium illud, quod in lege naturæ indifferens erat, quod ad ceremoniam & ritum externum, esset in populo Israelitico pro pueris seu viris determinatum, quoad ritum circumcissionis, ita vt ordinarie, seu quodcumque fieri posset sine graui incommodo protestatio fidei parentum, & applicatio eius ad remedium paruulorum, per circumcissionē fieret, & hoc modo, ac non alio, parentes filios suos Deo dicarēt, & offerrent. Ex quo factum est, vt si parentes vellent, alio ritu vel ceremonia vti, ad offerendum filios suos Deo, seclusa speciali gratia, vel necessitate, nihil eficerēt, quod ad eorum salutem vtile esse posset, quia iam illa non censeretur ceremonia sacra, sed superstitiosa, quod videtur significatum Leuit. 12. vbi dicitur: Mulier si suscepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus, & die octauo circumciderit paruulum, & in figuram huius applicari potest: quod Leuit. 2. dicitur: Septem dieb. erunt sub vbere matris suæ, die aut octauo & deinceps offerri poterūt Domino. Et ita facile intelligitur, quō tunc fuerit circumcisio necessaria, tum necessitate præcepti respectu adultorum, tum etiā necessitate remedij saltem respectu paruulorum, quando sine graui incommodo applicari poterat. Ita enim est limitanda & exponenda Augustini sententia, cui non contradicunt antiquiores Patres, qui directe contra Iudæos scribunt, qui suam spem totam in circumcissione ponebant: & ideo præcipue docuerunt circumcissionem nullam habuisse spiritualem efficaciam vel vtilitatem. Ad hanc autem Sanctorum mentem & intentionem satis est, quod circumcisio, vt erat peculiaris ceremonia Iudaica, nullam habuit specialem vim sanctificantem, neque ad hoc fuit primario instituta, prout in prima assertionē diximus

quam

Cum periculo mortis in circumcissione, sed aliud remedium legis naturæ, post octauum diem.

Iosue. 51

Quomodo intelligenda conclusio.

Circumcisio necessaria necessitate præcepti, respectu adultorum & necessitate remedij, respectu paruulorum.

quam prædicti Patres, sine dubio docent: non tamē negant secundam, neq̄ illam explicant, quia ad eorum institutum non pertinebat. Augustinus vero locutus est contra Pelagianos negantes originale peccatum: ideo clarius ac distinctius explicuit, quod in singulis ætatibus fuerit remedium ad huiusmodi peccatum tollendum.

Circumcisio fuit sacramentum improprie per se præfiguratum gratia futura consequenter vero demonstratum gratia presentis. Rom. 4.

Chrysof. Theoph.

Coloss. 2. Cap. 7.

1. 2. q. 102. art. 5.

Tertio dicendum est, circumcisionem fuisse verū ac proprium sacramentum veteris legis, primo, & per se prognosticon seu præfiguratum gratiæ futuræ: consequenter vero demonstratum gratiæ presentis, quæ in eo dabatur. Hæc assertio est præcipue intenta in hac sectione. Nam ad hunc locum proprie spectat: prima pars eius est certa de fide, scilicet, circumcisionem fuisse verum sacramentum. Nam licet non sub his verbis expressis, tamen sub æquivalentibus & definitionem sacramenti continentibus habetur ad Rom. 4. Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ: non enim poterat esse signum iustitiæ nisi illam significaret: quamquam probabile sit, solum respectu Abrahæ, fuisse signaculum iustitiæ: quia vt Chrysof. & Theophyl. dicunt, ei data est in testimonium iustitiæ & peculiaris dilectionis, qua Deus gratus erat. Quod aut fuerit signum circumcisionis spiritualis, atq̄ adeo gratiæ dandæ per Christum, satis significavit, Paul. ad Coloss. 2. Deniq̄ ex Gen. 17. aperte constat circumcisionem fuisse religiosam ceremoniam & sacram. Dicitur enim. fœdus & pactum inter Deum & Abraham. Vt sim (inquit) Deus tuus, & seminis tui post te: & infra dicitur: vt sit in signum fœderis inter me & vos. & infra: erit pactum meum in carne vestra in fœdus æternum: ergo ex diuina institutione habuit illa actio, vt per eam peculiariter dicarentur homines Deo, & coniungerentur illi: Erat ergo quid sacram & religiosum. & alioqui erat signum, & ibidem dicitur, & Paulus confirmat, & explicat: nihil ergo illi deerat ad rationem proprii sacramenti: & in hoc consentiunt omnes Patres supra citati contra Gnosticos & Manichæos, qui circumcisionem detestabantur, tanquam rem indecentem, & à malo principio profectam. Contra quos videri potest specialiter Ambr. epist. 77. & Orig. li. 2. in Epist. ad Rom. circa sic. 2. & Aug. lib. contra Adiman. Manich. c. 16. & li. 6. contra Faustum c. 3. vbi hoc propositum adducit illud ad Tit. 1. Omnia munda mundis: infidelibus autē nihil est mundum. Legi etiam potest D. Tho. infra qu. 70. in 1. 2. q. 102. art. 5. ad 1. vbi optime declarat rationem huius ceremoniæ, & sacramenti. Quomodo autem dicatur esse sacramentum veteris legis, in principio huius disputationis explicatum est: nam, licet ante legem fuerit instituta, manet tamen in lege, & erat quasi ianua ad cætera sacramenta illius legis: quia sine illa nullus ad legales ceremonias admittetur, vt D. Thom. docuit 1. 2. qu. 102. art. 5. Denique quod circumcisio fuerit signum præfiguratum gratiæ futuræ certissimum est, ita vt nulli sacris litteris medio crite eruditus id ignoret, vt August. dixit lib. 6. contra Iul. cap. 3. Quod vero fuerit signum demonstratum gratiæ presentis, tam certum est, quam est certa eiusdem Aug. sententia supra tractata, atque ita tota conclusio satis constat ex dictis inter explicandas superiores Patrum sententias. Vnde ad eorum fundamenta nihil aliud respondere oportet.

SECTIO II.

Verum in veteri lege fuerint alia sacramenta præter circumcisionem.

Hæc questio suppositis his, quæ de ceremonijs veteris legis in Exod. & Leui. traduntur, & quæ supra de definitione sacramenti diximus, nullam Franc. Suarez Tom. 3.

difficultatem continet nouam, quæ de re esse possit, sed solum de modo loquendi.

Prima enim de fide certum est, præter circumcisionem fuisse in lege veteri plures ceremonias sacras, atq̄ sensibiles, ad aliquam cultorum Dei sanctificationem ordinatas, vt ex Exo. & Leuit. constat. Secundo est certum, illas ceremonias non solum dedisse sanctificationem legalem, sed etiam significasse gratiam per Christum dandam. Ita docuit D. Th. 1. 2. q. 102. ar. 5. Et primo potest generaliter probari ex illo Pauli ad Cor. 10. Omnia in figura continebant illis, & in particulari, de Agno paschali ex illo 1. ad Cor. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus. & de legali sacerdotio & asperione sanguinis taurorum & vitulorum, ex tota epistola ad Hebræos. Præterea hoc tradidit aperte Eugenius 4. in decreto de sacramentis in Conc. Florent. Tertio, Dionys. c. 5. de Eccl. Hierar. p. 1. dicit: Synagogam habuisse carnalia sacramenta, quæ erant vmbra ac figura futurorum. Idem late atque eleganter explicat Eusebius Emif. homil. de Transfigur. in Sabbathum post Dom. 1. Quadragesi. vbi ex Paulo ad Hebr. 9. tria tabernacula distinguit, Primum Synagoga, secundum Ecclesia, tertium celum: primum in vmbra fuit & figura: secundum in figura est & veritate: tertium in veritate sola: in primo ostenditur vita, in secundo datur, in tertio possidet: non enim sacramenta Ecclesiæ, sicut sacramenta synagoga: medicinam docent & ostendunt, sed ipsa potius sunt medicina & remissio peccatorum. Idem tradit Amb. lib. 3. de sacram. c. 4. & 6. & li. de his, qui initiantur mysterijs, c. 8. & 9. Deniq̄ frequenter Patres hanc differentiam constituunt inter illa sacramenta & nostra: quod illa tantum erant signa futuræ gratiæ, & non causæ presentis, sicut nostra, vt referemus latius in si. q. 62. Quarto potest adiungi ratio, quia illæ ceremoniæ fuerunt ab ipso Deo sapientissime institutæ ad promouendam fidem & excitandam spem Christi venturi: ergo non debuerunt institui propter id solum, quod exterius in eis fiebat, sed propter mysterium, quod in eis latebat. Possent deniq̄ idem confirmari, explicando singulorum sacramentorum significationes: sed quoniam id copiose præstitit D. Th. 1. 2. q. 102. art. 5. non est, quod in ea re immoremur.

Tertio probabilius est, illas ceremonias non fuisse demonstratiuas gratiæ presentis, quæ per eas vel in eis daretur, circumcisioe excepta. Hoc probandum est late infra in q. seq. & ideo hic tantum supponitur vt necessarium ad id de quo agimus: ex his enim sequitur, non esse certum, atq̄ de fide, an illæ ceremoniæ fuerint propria & vera sacramenta simpliciter & vniuoce: an vero tantum secundum quid, ita vt hoc ipso, quod dicuntur sacramenta vetera, illa sit cōditio diminuens: pendet enim hoc ex vera definitione sacramenti, de qua nihil hæcenus definitum est de fide. Quarto tamē ex principijs à nobis positis necessario sequitur, fuisse in lege veteri alia sacramenta præter circumcisionem, quæ proprie, simpliciter & vniuoce sacramenta dicenda sunt. Quæ assertio est magis consentanea modo loquendi Conciliorum, præsertim Floren. loco supra citato, & Trid. sess. 7. & omnium Patrum: ita enim de illis sacramentis loquitur. Ratio vero ex dictis conficitur, quia præter circumcisionem fuere aliæ ceremoniæ sacræ ad sanctificationem hominum institutæ & veram sanctificationem significantes: ergo præter circumcisionem fuerunt alia vera ac propria sacramenta. Atq̄ hic adiungi possunt omnia, quibus supra ostendimus, sacramenta vetera fuisse vniuoce sacramenta. Item possunt adduci omnes utilitates sacramentorum quæ in illa lege locum habuerunt, præsertim propter infirmitatem & imperfectionem illius populi, qui per hæc sacramenta in vnū religionis nomen congregabatur, & ad specialem Dei cultum assuebatur, & ab alijs gentibus & fallis cultibus separabatur & abstrahabatur.

In lege veteri plura fuerunt sacramenta, præter circumcisionem.

D. Thom.

Eugen. 4. Dionys.

Euseb.

D. V. 11



Poffet autem hoc loco dari primo, quis fuerit numerus illorum sacramentorum, & quomodo discernenda sint, tam inter se, quam ab alijs ceremonijs & obseruantijs illius legis, & praesertim a sacrificijs. Sed ad haec explicanda necessarium esset hoc loco magnam Exodi & Leuitici partem interpretari, quod alienum est a nostro instituto, & parum utile ad doctrinam moralem. Quapropter pro scholastico instituto sufficere existimo, quae de hac re tradidit Diuus Thomas 1.2. quaestio. 102. articulo. quinto. ubi haec sacramenta reuocat ad tria capita praeter circumcisionem. Quaedam enim instituta fuere ad consecrandos Sacerdotes, & pontifices. Alia vero ad quaedam vsuum, & participationem rerum sacrarum seu recognitionem beneficiorum Dei, vt agnus paschalis. Alia denique ad expiationes, & purificationes legalium irregularitatum vel peccatorum. Et ita fuerunt in illa lege sacramenta, quae fuere figurae quatuor nostrorum sacramentorum: nam circumcisio fuit figura baptismi: agnus paschalis Eucharistiae: sacerdotium legale nostri sacerdotij, & expiationes omnes sacramenti penitentiae: Matrimonium vero non fuit tunc sacramentum, quia nondum facta fuerat coniunctio Verbi cum humanitate, nec data gratia, quae concupiscentiam superat, nec nostrum sacramentum Matrimonij habuit tunc spirituales figuram, quia per ipsum matrimonij contractum semper fuit aliquomodo adumbratum: & quia cum non sit a deo perfectum, nec singulis necessarium, non oportuit specialius praefigurari. De confirmatione autem & Extrema vnctione ait D. Tho. non habuisse proprias figuras: quia in illo datur plenitudo Spiritus sancti: per hoc vero proxime praeparatur homo ad introitum gloriae: vt ergo significaretur, illam legem fuisse egenam, & gratia vacuum, & non inuoluisse homines ad regnum, cuius ianua tunc aperta non erat: ad hoc significandum non fuerunt in illa lege illa duo sacramenta etiam in figura & imagine. Haec quidem sufficiunt de numero illorum sacramentorum, ex quibus facile erit, ea inter se distinguere. Quomodo autem a sacrificijs distinguenda sint, ex supra dictis de distinctione sacrificij & sacramenti petendum est: solumque obseruandum, quoniam sacrificia multa offerbantur in expiationem peccatorum, vel irregularitatum, diuicile esse semper distinguere in his sacrificia a sacramentis: & ita D. Tho. in citato loco interdum videtur illa confundere: semper tamen obseruari potest aliquid, quod immediate fiebat in cultum Dei: vt eleuatio in altari, concrematio & aliquid simile. id enim proprie habebat rationem sacrificij, aliquid vero quodammodo inde resultabat, quod fiebat circa fideles ad eorum sanctificationem, vt asperio aliqua vel inunctio, vt sumitur ex Num. 19. Exod. 24. ad Hebr. 9. Et in huiusmodi ceremonia fita maxime erat ratio sacramenti, iuxta doctrinam supra traditam. Vnde etiam verisimilius mihi est huiusmodi purificationes, quando fiebant circa res inanimatas, vt circa vestes, vel domum, &c. non fuisse proprie sacramenta, sed quasi sacramentalia, quia non erant ceremoniae immediate ad sanctificationem hominum ordinatae. Atque hinc facile erit, haec sacramenta ab alijs obseruantijs distinguere, & legi etiam potest D. Th. praedicta q. art. 3. & 6.

D. Thom.

Nostrorum sacramentorum figura.

D. Thom.

Haec sacramenta veteris legis necessaria, tantum necessitate praecipi.

Secundo quaeri potest, an haec sacramenta vetera fuerint illo tempore hominibus necessaria ad salutem: nam hoc pertinet etiam ad questionem, an sint sacramenta. In quo breuiter dicendum est, si sermo sit de necessitate, quae antecedit institutionem, non fuisse necessaria, fuisse tamen valde utilia propter rationes supra factas. Si vero sit sermo de necessitate, quae consequitur institutionem, dicendum est, illa non fuisse necessaria necessitate medij, quia non habebant aliquem effectum ad salutem necessarium: fuisse tamen necessaria necessitate praecipi, non quidem omnibus hominibus: sed his tantum qui erant

de populo Israel, quibus erat circumcisio imperata: Nam vt diximus, circumcisio erat veluti ianua illorum sacramentorum: quia non licebat illis vti, nisi hominibus circumcisus, vt constat Exod. 12. Vbi in particulari est sermo de agno paschali. Est autem eadem ratio de ceteris sacramentis, vt constat ex discursu Exod. & Leuitici. & ex Acto. 16. & 21. non obscure colligitur & ex omnibus supra tractatis, intelligendum autem est de viris, nam foeminae non poterant circumcidi: pertinebant autem ad illum populum ratione originis & parentum, & hoc ipso erant capaces sacramentorum. E contra ratio vero omnes circumcisus tenebantur ad legem seruandam, iuxta illud Paul. ad Gal. 5. Testator omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersae legis faciendae. Quod intelligendum est de his qui vtebantur circumcissione, quatenus erat professio illius: nam aliae gentes, quae tantum propter quandam imitationem Abrahae, vel consuetudinem circumcidebantur, non propterea tenebantur ad alia sacramenta illius legis suscipienda, vt de Aegyptijs, Moabitibus & alijs notat Hieronymus Ieremiae 9. circa illa verba: Visitabo super omnem, qui circumcisum habet preputium. Igitur sacramenta vetera iudeis erant necessaria necessitate praecipi. Ita enim in lege praecipta erant, alijs vero nationibus nullo modo erant necessaria, nisi ex suppositione, quod vellet circumcidi, & illam legem profiteri. Quamuis enim circumcisio non fuerit omnibus praecipta, sed tantum Abrahae & eius familiae, ac posteritati, vt patet Gen. 17. & iterum attingemus infra quaestione septuagesima tamen omnibus nationibus fuit proposita, vt, si vellet, illa vti possent, & per illam legem subijci, vt constat cap. duodecim. Exodi, ubi exteris nationibus datur facultas comedendi de agno paschali, si vellet circumcidi. & Iudith 14. Nachor circumcisus fuit, & populo annumeratus. Postquam legis professionem, sicut poterat aliquis vti sacramentis veteribus: ita etiam erant illi necessaria eo modo, quo dictum est.

Circumcisio, ne vti ad professionem illius legis, tenebantur ad alia sacramenta, nisi a iura, non sunt.

ARTICVLVS IV.

Vtrum post Christum debuerint esse aliqua sacramenta.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod post Christum non debuerint esse aliqua sacramenta. Veniente enim veritate debet cessare figura. Sed gratia & veritas per Iesum Christum facta est, vt dicitur Ioh. 1. Cum igitur sacramenta sint veritatis signa, videtur quod post Christi passionem sacramenta esse non debuerint.

2. Praeterea, sacramenta in quibusdam elementis consistunt, vt ex supra dictis patet. Sed Apostolus dicit Galat. 4. Cum essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes: nunc autem temporis plenitudine veniente, iam non sumus paruuli: Ergo videtur, quod non debeamus Deo seruire sub elemento huius mundi, corporalibus sacramentis vtendo.

3. Praeterea, apud Deum non est transmutatio nec vicissitudo obumbratio: vt dicitur Iacob. 1. Sed hoc videtur ad quaedam mutationem diuinae voluntatis pertinere, quod alia sacramenta nunc hominibus exhibeat ad sanctificationem tempore gratiae, & alia ante Christum. Ergo videtur, quod post Christum non debuerint alia sacramenta institui.

SED contra est, quod Augustinus dicit contra Faustum Lib. 19. c. 13. quod sacramenta veteris legis sunt ablata, quia impleta: & alia sunt instituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.

RESPONDEO dicendum, quod sicut antiqui Patres saluati sunt per fidem Christi venturi: ita & nos saluamur per fidem Christi iam nati & passi. Sunt autem sacramenta quaedam signa protestantiae fidei, qua homo iustificatur.

Oportet

Oportet autem aliis signis significari futura, prateria seu presentia. Ut enim August. dicit 19. contra Faust. eadem res aliter annunciatu faciendis, aliter facta, sicut ipsi verba passurus & passus non similiter sonant. Et ideo oportet quaedam alia sacramenta esse in noua lege, quibus significantur ea, que precesserunt in Christo prater sacramenta veteris legis, quibus prauunciabantur futura.

Ch. 5. Ecles. Hier. par. 5. cap. Ecles. Hierar status noue legis medius est inter statum veteris legis, cuius figura implentur in noua lege, & inter statum glorie, in qua omnis nude & perfecte manifestabitur veritas. Et ideo tunc nulla erunt sacramenta. Nunc autem quamdiu per speculum, & in enigmate cognoscimus (vt dicitur 1. ad Corint. 13.) oportet nos per aliqua sensibilia signa in spiritualia deuenire. Quod pertinet ad rationem sacramentorum.

Ad secundum dicendum, quod sacramenta veteris legis Apostolus vocat egea & infirma elementa: Quia gratiam nec continebant, nec causabant. Et ideo venies illis sacramentis, dicit Apostolus sub elementis mundi Deo seruasse. Quia scilicet nihil aliud erant, quam elementa huius mundi. Nostra autem sacramenta gratiam continent & causant: & ideo non est de eis similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod sicut paterfamilias non ex hoc habere monstratur mutabilis voluntatem, quod diuersa precepta familia sua proponit pro temporum varietate, non eadem precipiens hyeme & aestate: ita non ostenditur aliqua mutatio esse circa Deum, ex hoc, quod alia sacramenta instituit post Christi aduentum. & alia tempore legis, quia illa fuerunt congrua gratia preferentialiter demonstranda.

DISPUTATIO. VI.

De institutione & necessitate sacramentorum legis gratia.

Qui heretici omnia sacramenta abiecerunt. Epiph. in Theod. Ar. Damasc. Item G. id.



Hæc disputatio breuissime à nobis expedienda est, quoniam hæc institutio multo commodius in singulis sacramentis explicabitur, & similiter vniuersum sacramenti necessitas & perfectio. De numero etiam horum sacramentorum nouæ legis, que ad præsentem disputationem pertinere poterat, tractat D. Thomas infra, q. 65. & ideo, ne ordine eius inuertamus, in cõmentarijs illius questionis illam partem explicabimus. Hic vero ad doctrinæ complementum solum in genere tractabimus, an in lege gratiæ debuerint sacramenta institui, & quantum priora sacramenta perfectione superent.

SECTIO I.

Utrum in lege gratiæ fuerint sacramenta necessaria.

Non defuerunt heretici, qui omnia sacramenta legis gratiæ abiecerunt, vt de Archoneicis referunt Epiph. hæres. 4. & Theodor. lib. primo fabul. quamuis August. & Damascen. de hereticis scribentes, hunc taceant errorem. Eundem tribuit Gnosticis Irenæ. lib. 3. cap. 18. & Epiph. hæres. 34. circa si. vbi eos Marchosios vocat. Eundem tribuit Guido Carmel. Catharitis, qui diuersi sunt à Catharis. Hi enim solam penitentiam illi vero omnia sacramenta negabant, quos aliqui putant fuisse illos, quorum Augustinus meminit hæresi 46. & à Manicheo dicit originem duxisse, qui fuerunt anno Domini 279. sub Aurelian. Impera. & Felice I. Pontif. ita Prateol. verbo Catharista, & Castro verbo Sacramenta. Sanders autem libro 7. de viti. monar. hæres. 147. putat esse recentiores, & vixisse sub Alex. III. Feder. I. Impera. & damnatos esse in Concil. Lateran. sub Alex. III. 3. p. c. 27. Sed incertum est, quid horum verius sit: quia neq; in dicto Concilio, neq; apud August. fit

Prateol. Castro. Sanders.

mentio huius erroris: quamuis Catharista ibi nominentur. Denique Ioannes XXII. in Extrauag. sancta Romana, de Relig. domibus, refert hæreticos Fraticellos omnia Ecclesiastica sacramenta despexisse. Huius hæresis nullum video apparens fundamentum in scriptura, aut Patribus: solum potest adduci congruentia, quia perfectioni legis gratia repugnare videtur, vt seruamus Deo sub elementis mundi huius, & sub vmbris & figuris: nam veniente veritate cessant figura, veritas autem per Christum facta est, & ideo de veteribus ait Paul. ad Hebr. 10. habuisse vmbram futurorum. de nobis autem, habere ipsam imaginem rerum.

Dicendum vero est primo in lege gratiæ esse instituta vera ac propria sacramenta. Est de fide, definitum in Conc. Flor. & Trid. locis sæpe citatis, quamuis enim sub hac voce non cõstet certe, haberi hanc veritatem expressam in nouo testamẽto, tamen res ipsa euidentissime continetur, vt ostensum est in superioribus, cum de nomine & ratione sacramenti tractando, eam ex varijs testamẽti locis colligimus, & idem probant sanctorum testimonia ibi citata. Denique res est notior apud Catholicos, quam vt probatione indigeat. Rationes vero seu congruentiæ huius institutionis ex superioribus peti etiam possunt: nam omnes vtilitates signorum sensibilibus, & sacramentorum, que proneniunt ex ipsa natura hominis & modo cognitionis eius, & connaturali modo colendi Deum, quasq; diximus habere locum in statu innocentie, multo magis illum habent in statu legis gratiæ. Primo, quia etiam in hoc statu debetur Deo cultus externus, quia ex ipsa lege nature proficitur, & gratia nõ destruit naturam, sed perficit. Secundo, quia in hoc statu Ecclesia visibilis ex hominibus constans, est maxime vna, & ideo maxime indiget signis sacris sensibilibus, quibus congregetur. Tertio, quia nunc in Ecclesia habet Christum Deum hominem, quem, vt caput suum veneratur, eiusque fidem proficetur, & ideo, sicut ipse non tantum spiritu, sed etiam corpore consistat, eiusq; passio & mysteria sensibilibus peracta sunt, ita oportet, vt eius memoria sensibilibus signis renouetur, vt illorum fides conseruetur. Quarto, si consideremus necessitatem ex parte nature lapsæ, vtilissimũ fuit in hoc statu institui sacramenta sensibilia, per quæ facilius homines peccatorum remissionem & gratiæ sanctificationem consequantur. Quinto, hinc augetur caritas in Christum & Deũ, cuius misericordia, sapientia, potentia & liberalitas in his sacramentis multum ostenditur: quando quidem in rebus facillimis nobis sanctificationem præparauit, & per easdem res corporeas, quib. vtimur, spirituale sanctificatione efficeret voluit. Augetur etiam spes salutis consequende, dum nostra infirmitas ipsorum sacrificiorum efficaciam inuatur. atq; ita multo facillior fit salutis via. In quo tamen cauendus est hæreticorum error, qui in sacramentorum vsu dicunt concipiendam esse absolutam fidẽ propriæ iustitiæ: non enim hæc fides est, sed stultus error, quia sacramentorum efficaciam dispositionem suscipiens requirit: vel salutem, vt obicem non ponat: & ideo, sicut non est certum hominem non ponere obicem (loquendo de adultis) ita non est de fide certum, per sacramenta sanctificari: satis vero est ad prædictũ spei augmentum, fides quedam quasi conditionalis, quod sacramenta, quantum in se est, propria virtute carere non possunt, vt Cypr. dixit ser. de Cœna Domini. & ideo, si homo non ponat obicem, infallibiliter habebunt effectum. Vnde oritur quedam moralis certitudo, quam Scotus dicit 1. q. 3. art. 1. vocauit certitudinem, vt in plurimum, quia si homo nõ sit valde negligens, sed bona fide, quod in se est, faciat, nõ priuabitur fructu sanctitatis, quod est magnũ spei solacium. Aliunde vero in sacramentis quodammodo ostenditur diuina iustitia, & inepta hæreticorum fi-

In lege gratiæ sunt vera sacramenta.

Cur in hoc statu sacramenta esse debeant vniuersa congruentia.

ducia retunditur, per institutionem n. sacramentorum ostensum est, non satis esse ad salutem re ipsa consequendam, quod Christus mortuus sit pro nobis, nisi fructus passionis eius nobis applicetur: hoc enim fit per sacramentorum usum. Item ostensum est, necessarium esse homini, etiam in hoc statu suam fragilitatem & indignitatem recognoscere, ut, sicut abusus est sensibilibus creaturis in Dei iniuriam, ita eis se submittat ad suam sanctificationem, & ad diuinum cultum eis utatur. Tandem ex hac institutione maxime perficitur fides: tum extensiuè, quia plura mysteria de Christo, & de diuina potètia illi credenda proponuntur, tum etiam intensiuè, quia per ipsa sacramenta datur maius auxilium ad credendum, & perseverandum in fide, tum deniq; in exteriori professione, & cultu religioso, qui ceteris paribus per hæc sacramenta melius, & perfectius Deo exhibetur. Quæ omnia partim desumpta sunt ex August. lib. 19. contra Faustum c. 11. & epist. 118. & ex Leo. Pap. serm. 4. quadrag. Chryl. hom. 33. in Matt. & ex Irenæo lib. 4. cap. 32. & Damasc. lib. 4. de fid. c. 14. Hug. de S. Viç. lib. 1. de sacra. p. 9. c. 3. D. Tho. 3. cont. gent. c. 19. & lib. 4. c. 56. ex quibus rationes alie peti possunt.

August.
Leo Papa.
Chrysosto.
Irenæus.
Damasc.
Hugo.
D. Thom.

Sacramentorum usus in hoc statu ad omnium salutem necessarius.

Trid. sess. 7. cano. 4.

Ad fundamentum contrarij erroris respondetur.

Dico secundo, usum sacramentorum esse in hoc tempore legis gratiæ ad omnium hominum salutem necessarium. Hæc assertio intelligenda est de necessitate, quæ institutionem consequitur, nam ipsi ius in institutionis non potuit esse necessitas simpliciter, sed tantum vtilitas, quæ iam à nobis explicata est: & hoc sensu conclusio est de fide generaliter ac simpliciter intellecta, ut traditur in Tridentini cõcilij sessione 7. canone 4. non enim est sensus, omnia vel singula sacramenta esse necessaria, sed absolute. Quomodo autem, aut in quibus sacramentis in particulari conclusio verum habeat, attingemus infra cura D. Thomæ q. 65. artic. 4. latius vero in singulis sacramentis explicandum est: Nam est quedam necessitas, quæ dicitur mediæ, alia quæ appellatur præcepti. Item, alia est necessitas respectu singulorum, alia est respectu totius communitatis. Vnde quoddam sacramentum est necessarium omnibus, necessitate mediæ & præcepti, ut baptismus, aliud vero eisdem modis necessarium est adultis tantum, qui post baptismum mortaliter peccauerunt, ut Poenitentia; aliud vero est necessarium singulis necessitate præcepti, ut Eucharistia, alia vero duo, scilicet Confirmatio, & Extrema unctio, licet vtilia sint, non constat tamen, an de illis sit necessitas imposta etiam præcepti, reliqua vero duo sunt Ecclesiæ necessaria, quamuis non singulis personis: quæ omnia proprijs locis sigillatim demonstranda sunt. Atq; ita satis patet conclusio posita. Ratio vero eius à priori sumenda est ex Christi voluntate & institutione: congruentia vero ex fine & effectu sacramentorum, fuit enim expediens institui ad conferendos aliquos effectus necessarios, vel maxime vtilis ad salutem. Et inde factum est, ut interdum fuerit expediens institui tanquam causas necessarias, interdum vero præcipi propter maiorem vtilitatem, aut propter fidei professionem, vel propter Dei cultum & reuerentiam. Ex quo patet solutio ad fundamentum contrarij erroris: nam, licet veritas præcedentium vmbra ac figurarum per Christi facta sit, & quoad hoc cessauerit necessitas sensibilium signorum, tamè necessaria nobis est memoria præteritorum beneficiorum Dei: & fidei professio, & exterior cultus & applicatio gratiæ & veritatis, quæ per Christum sufficienter facta est. Et ideo non est contra perfectionem legis nouæ, quod signis sensibilibus utatur. Præsens enim Ecclesiæ status medius est inter statum legis veteris, & statum gloriæ, ut supra ex Dionysio retulimus: quia, licet iam habeamus Christum præsentem, & eius merita exhibita, nondum tamen illo fruimur de facie ad faciem, neque omnem fructum passionis eius consecuti sumus. Et ideo nobis necessaria sunt signa, quæ

præsentem gratiam significant, & futuram gloriam promittant. Et ideo uti huiusmodi signis, non est feruire sub elementis mundi huius, sed potius est, elementa ipsa ad nobilissimos effectus, & usum perfectissimum eleuare. Iudicij enim dicebantur militare sub elementis mundi huius. Nam multitudine ceremoniarum quasi premebantur, & non iuuabantur, quia illis gratiam non conferebant. Nostra vero sacramenta, & pauciora sunt, & faciliorem usum habent, & dum gratiam conferunt, nostram infirmitatem iuuant. Ita fere responderet Augustinus libr. 2. de Doctrina Christiana, cap. 6. & lib. 83. quaest. 9. & alijs locis infra citandis.

SECTIO II.

Utrum sacramenta nouæ legis, antiqua sacramenta perfectione excellant.

Hereticis huius temporis ita sentiunt de nostris & veteribus sacramentis, ut vel æqualia ea faciunt, vel certe nostra in inferiori ordine constituant. Tria enim possunt in sacramentis considerari, scilicet, ritus externus, significatio & efficiencia gratiæ, efficiencia tam nostris quam antiquis sacramentis denegant. Et ita in hoc paria illa faciunt, quia omnia a quæ sunt apta ad excitandam fidem: de quo errore quaestione sequenti dicemus. Rursus, quoad significacionem negare non possunt, quin nostra significant Christum, & passionem eius iam factam, quæ vetera sacramenta significabant futura. Item etiam non negant per priora sacramenta significata esse nostra, non tamen è conuerso, vnde ex hac parte fateantur necesse est, nostra sacramenta aliquo modo excedere, quamquam hic excessus magis in re significata & in diuersa habitudine, seu statu eius, quam in ipsis signis positus sit. Potest enim signum rei futuræ in ratione signi perfectum esse, sicut signum rei præsentis, si a quæ, clare ac distincte illam significet, & præsertim, si res significata a quæ perfecta sit. Et in hoc videtur hæretici non agnoscere differentiam inter vetera sacramenta ac nostra, quia in vtrisque negant esse necessarium verbum consecratorium, à quo maxime pendere videtur expressior & clarior significatio sacramenti. Verique vero adiungi poterat verbum conclamationis: ergo in hoc non est differentia. Denique, quod ad ritum attinet, si in esse rei, seu actionis materialis consistere, interdum poterant sacramenta vetera esse in hoc perfectiora, quam nostra. Agnus enim perfectior res est quam panis, & maius quid est carnis suam scindere, & sanguinem fundere in cultum Dei, & professionem fidei, quam aqua luari: si vero considerentur secundum proportionem, seu aptitudinem ad significandum, sic interdum potest esse æqualitas, ut in significacione, quæ fit per abluionem aquæ. Interdum vero videntur excedere sacramenta vetera, quia vel erant magis durabilia, ut circumcisiõ, quæ imprimebat signum sensibile permanens, quod non facit baptismus: vel habebant quandam maiorem proportionem, ut agnus interfectus ad significandum Christum pro nobis mortuum.

Dicendum vero est, nostra sacramenta simpliciter & absolute esse perfectiora veteribus sacramentis: conclusio est de fide definita in Concil. Florent. & eandem videtur intendisse Trid. Con. sessione septima, canone 2. cū Anathema dicit in eum, qui dixerit nouæ legis sacramenta ab antiquæ legis sacramentis non differre, nisi, quia ceremonia sunt alia, & alij ritus externi. Eandem veritatem sapientissime docet August. præsertim 19. cont. Faust. cap. 13. vbi quatuor excellentias nostrorum sacramentorum ponit, scilicet, Quod sunt virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Epist. vero 118. c. 1. ijs addit quod sunt et significacione præstantissima. Similia possunt sumi ex eodem psalmo 73. in principio

Hereticis no. uis vetera sacramenta præferunt vel æquant.

Sacramentis noua veteribus præstant.

August.